DISSERTATIO JURIDICA
de
ASSECURATIONE

Quam
DIVINO FAVENTE NUMINE
SUB PRÆSIDIO
VIRI
Magnifici Consultissimi
D. D. JACOBI BRANDMYLLERI,
Jur. Profess. celeberrimi, ejusdem Facultatis
p. t. Decani dignissimi, Dn. Patroni, Præceptoris
ac Fautoris omni honoris ac obsequii
cultu prosequendi,

Eruditorum examini subjicit
JOHANNES THO WESTEN
Hamburgensis,

In publico JConsultorum Auditorio
Horis consuetis
Die Octobris, Anno M DC LXXI.



BASILEÆ,
LITERIS DECKERIANIS.





CVM BONO DEO.

Thesis I.



Uemadmodum in Jure Justinianeo, è cujus Majestate pendet, quicquid Themidos consecranei bene agunt, contractus alii sunt Nominati, Innominati alii, ita Mercatores & agnoscunt contractus nominatos, & naturam contractuum innominatorum novis accessionibus illustrant: quod præsertim fit manifestum è Permutatione, Cambio, Assecuratione. Permutationem suis explorare momentis alienæ est operæ. De Cambio sint solliciti, qui malunt cambium sine epistola, quàm epistolam sine cambio. Assecurationem cum dicimus, ut eam suis requisitis sequentia includant, non cum Baldo *d.constitut. num.* 8. mercatorem sejungimus eum, cui tantùm est una mercantia: hac sejunctione Baldus falso illabitur, dum ei non est fœnerator, qui uno actu fœnus exercet. Institor est, qui non ad certum genus negotiationis, aut ad certum locum, sed universaliter negotiationi quæstuariæ præponitur, Wesenbec. in *parat. ad tit. d. Inst. act. num.* 1. certum tamen genus negotiationis parit actionem institoriam utilem, *l.* 11. *d. tit. d. Inst. act.* Quòd una mercantia velit ex Assecuratione descendere actionem utilem: mercantia universalis velit descendere actionem directam, hoc asserere cùm non sit alius ante nos authoris, illius auctoritatis in nobis non sit initium.

II. Dissertationis igitur nostræ argumentum suggerat ASSECURATIO, circa quam considerantur & jus legitimum & juris legitimi Effecta.

III. Jus legitimum ante indagandum, quàm definiri queat, ne dubia juris illegitimi subdatur definitio.

IV. De jure legitimo hujus contractus apud Cardinalem de Lugo, *d. l. & l. disp. 31. sect. 7. num. 93.* solus dubitavit Conradus *d. Contractib. q. 71.* qui solùm tunc licere dixit, quando ille idem, qui aliàs operam suam debebat adhibere ad conservationem rei alicujus, rursùs pro interesse moderato, periculum illius in se suscipit, ut si nauta in se suscipiat periculum mercium, quas in navi portat. Tunc enim assecuratio deservit, ut majori diligentiâ suâ muneri satisfaciat. Secùs verò, quando qui periculum suscipit, nullam adhibiturus est operam, aut diligentiam ad rei conservationem: quoniam hæc assecuratio non est reip. utilis, nec deservit, nisi ut hi assecuratores otiosi in suis domibus locupletentur. Verùm ibidem respondetur, alios omnes meritò hanc sententiam rejicere: quia contractus hic cedit in bonum publicum, ut mercatores audeant merces suas ex uno in alium locum transportare cum majori securitate: & aliunde possunt in hoc contractu servari omnes justitiæ conditiones, sicut in aliis. Addimus & hoc non subesse metum, ne assecuratio Ulyssi culcitram sternat, lineumque navis in subselliis concavæ, ut molliter recubet: aut assecuratio esset oscitantia molliter recubantis.

V. De jure legitimo hujus contractus vel ideò dubitari potest, quòd omne periculum sit vitandum. Diogenetes Erythæus ait, quodam tempore Venerem cum Cupidine ad flumen Euphratem venisse, & eodem loco Typhoni giganta apparuisse: Venerem autem cum filio in flumen se projecisse, & ita figuram piscium formâ mutasse. Quòd in ipso periculo periculum futurum sit vitandum. Syri, qui erant proximi, ob hoc Veneris cum filio factum destitere esitare pisces, veriti, ne Deorum præsidio impugnarent, aut Deos ipsos caperent. Quòd vitandum sit periculum majus: alioquin, qui obdormivit è *l. 27. §. 9. ad L. Aquil.* potuisset dicere se rem humanam & naturalem passum. Resp. 1. Omne periculum esse vitandum, idipsum indigetat sarcasmus Attilii Consulis ad Achæos, ipsos debere esse similes testudini, quæ, cùm suâ contegitur testâ, ab omni vi tuta est: quâlibet sui parte exsertâ injuriæ obnoxia sit. Resp. 2. quòd in ipso periculo periculum futurum sit vitandum, vult Celsus in *d. tit. l. 49. in §.* circa eum, qui

incendii

incendii arcendi gratiâ vicinas ædes intercidit. Vult, quicunque assecurationem in se recipit. Resp. 3. vitari non possit periculum, periculi non vitati est laus. Laudatur pater apud Quintilianum *declam.* 259. præ quo *non servus ullus tam fidelis, non libertus tam beneficio obligatus fuit, ut hoc subire periculum posset. Unus amicus acceptâ humeris suis puellâ per tot difficultates, per tot pericula nihil pro se ipso sollicitus tulit.* Periculi non vitati laus est in Oratore, de quo *libr. 9. epist. 26.* Plinius, *Debet Orator erigi, attolli, interdum etiam effervescere, efferri, ac sæpè accedere ad præceps: nam plerumque altis & excelsis adjacent prærupta. Tutius per plana, sed humilius & depressius iter. Frequentior currentibus quàm reptantibus lapsus: sed his non labentibus nulla laus, illis nonnulla laus, etiamsi labantur. Ut quasdam artes, ita eloquentiam nihil magis quàm ancipitia commendant.* Resp. 4. Vitari posse periculum majus, si abscindantur omnia ea, quibus ad periculum majus venimus. In *l. 52. §. 1. d. tit.* prætериens oculum amisit, quoniam flagello, quod in manu habebat, in quo dolon inerat, priùs tabernarium verberabat. Resp. 5. Vitari posse periculum majus, si alterutrius electio penes aliquem sit. Actionum noxalium vis & potestas hæc est, ut, si damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipsius corporis, quod deliquerit, evitare litis æstimationem, *l. 1. d. noxal. act.*

VI. Juris legitimi effecta circa Assecurationem sunt tria. Alii volunt jure civili Assecurationem ignorari. Alii Assecurationem ignorari, non tamen ignorari aversionem periculi. Alii Assecurationem non posse ignorari, non ignoratâ periculi aversione.

VII. Primi dum largiuntur jure civili non ignorari aversionem periculi, sibi satisfaciunt.

VIII. Secundis satisfaciunt tertii, aut ignorantia est ejus quod non ignoramus. Recepta ne sit vox assecurationis, Grotius *libr. d. I. B. & P. 2. c. 12. num. 3. in fin.* an non, id relinquimus Fulberto Episcopo, qui apud Vossium *libr. d. vit. latin. serm. 4. in epist. 6. ad usum meorum fidelium, qui illud assecurabant vobis.* Similiter constitutiones Neapolitanæ, Rogerus Hovedenus & Thomas Walsingamus in descriptione Neustriæ pag. 591. *Igitur post certas conditiones assecuraverunt Regem se propriis suis sumptibus damna castri villæq; ruinas reparaturos.* Relinquimus pertinacibus, qui asinando magni æstimant M. Pomponium Marcellum, quòd Latini sermonis exactor molestissimus fuerit. Ita autumant Securitatis vocabulum pro

salvo-conductu acceptum esse minùs latinum. Qui *in l. 3. C. d. navicul. libr. XI.* omni securitate potiuntur habent salvum-conductum. Non magis latinum est vocabulum Suffragii, quod Accursio in *l. un. C. d. Suffrag.* est honorarium datum Advocatis: non nemini est votum, cùm sit beneficii impetratio, Hahn. ad *tit. d. praescr. verb. num.* 4. Est tamen animadvertendum, esse etiam vocabulum latinum, cui alienus sensus affingitur: vitium enim non est in ipso vocabulo. Et verò qui latinitatis urgent requisitum, ii ostendant in ipsa Assecuratione latinitatem, necante progrediantur ad tot significata, quibus Assecuratio est, 1. certitudo. 2. chirographum. 3. negligentia. 4. animi tranquillitas. 5. placida constitutio à malorum impendentium metu immunis.

IX. Adhæc ejus, quod ignoramus, subordinati sunt gradus, ut primus gradus sit confusæ notitiæ, in qua id, quod ignoramus, & id quod non ignoramus, coalescunt. Ut propiùs accingamur ei, quod nostræ Assecurationi convenit, indagemus navigationis initium, & deprehendemus confusam initii notitiam. Stupebat sub initium homo navem ferri non ex navigantium arbitrio, sed pro libidine ventorum, & ideò summa littora legebat, quia ibi minor fluctuum vis, & in periculo à terra propinqua major spes. Eratosthenes, antiquus author, negat priscos vel Euxinum mare, vel quod inter Syriam Ciliciamque est, vel quod Lybiam cingit, adire ausos. Negat & Apollodorus, Pontumque Trojanis adhuc temporibus Axenon vocatum ait, non aliam ob causam, quàm quòd nemo eum navigaret. Quî autem peritia navalis suis accessionibus creverit, & primis initiis metuens metum posuerit, perhibent Ligures longè posteriores, qui maximè transmarinis expeditionibus floruere, & Saracenos ex Sardinia & Corsica ejectos navalibus armis persecuti Antiochiam expugnarunt, & mox Seleuciam, Cæsaream, Ptolemaida, Tripolin, cæterasque Syriæ urbes maritimas pulsis, quocunque venerunt, hostibus. Ita Claudianus in *præfat. rapt. Proserpinæ*,

Inventâ secuit primus qui nave profundum,
Et rudibus remis sollicitavit aquas:
Tranquillis primum trepidus se credidit undis,
Litora se.uro tramite summa legens:

Mox

Mox longos tentare sinus & linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela Noto.
Ast ubi paulatim præceps audacia crevit,
Cordaq; languentem dedidicere metum:
Jam vagus irrupit pelago, cœlumq; sequutus,
AEgæas hyemes Joniumq; domat.

Vid. Salmuth. in *not. ad Guid. Panciroll. libr. rer. memor.* 2. *c.* 1. Hodierni nautæ, solis velis confisi, quotannis orbem terrarum crebris navigationibus circumire, & in alium orbem quasi colonias deducere videmus, solius ferè mirabilis pyxidis nauticæ auxilio, etiam veteribus incognitæ, cujus beneficio fit, ut die & nocte obscurâ, atque etiam tempestate coortâ, periti hujus rei & navarchi scire possint, quo loco in vastissimo illo Oceano constituti sint. Sunt animosiores illo nautâ, qui interrogatus à rustico, cùm pater & avus ipsius in mari perierint, quare ipse navem intret, annon idem fatum expectet. Cui per instantiam respondit nauta, quare ipse ascendat lectum, cùm tamen majores suos in lecto diem obiisse fateatur, Gryphiander *libr. Oeconom. legal.* 1. *c.* 25. *num.* 17.

X. Non ignorant Assecurationem, quibus ex Heringio *c. d. Fidejuss.* 18. *num. ult.* non ignoratur contractus innominatus, Facio ut des. Nauta merces suas, Hamburgi fortè, in navem suscipiens facit, ut illæ salvæ & incolumes ad portum Ulyssibonensem proferantur & exponantur: tu vicissim illi aliquot nummos aureos propter susceptum periculum das & numeras, ut ita ille ipse nauta merces tuas suâ fide, suo periculo suscepisse non inconvenienter dici possit. Vid. Struven. *exerc.* 25. *th.* 47.

XI. Præludit Assecurationi, *l.* 31. *locat.* in qua est oneris aversi actio: & opus, quod in *l.* 36. *eod.* aversione locatum est. Præludit Exercitor qui in *l.* 1. *§.* 15. *d. exerc. act.* per aversionem conduxit: & in *l.* 1. *§.* 35. *depos.* Depositarius, qui deposito se obtulit.

XII. Præludit fœnus nauticum, quod est accessio quantitatis creditæ navigaturis periculo creditoris. Wissenbachius ad *Pand. disp.* 42. *th.* 27. *part.* 1. Vide Besoldum *in thes. pract. spicileg. verbo* Bodmar Salmasium *d. fœn. trapez. p.* 95. Statuta Hamburg. *part.* 2. *tit.* 18. von Bodmerey/ Borcholten *d. naut. fœn.* Periculum est creditoris, cùm tot sint pericula debitorum. Solum maris periculum,

cuiſe toties committere neceſſe habent, hæc abunde demonſtrant. Apud Virgilium 1. Æneid.

Franguntur remi, tum prora avertit & undis
Dat latus, inſequitur cumulo præruptus aquæ mons,
Hi ſummo influxu pendent.

Ut hinc veriſſimè pronunciârint ſapientes, undarum clientulos, qui animam ventis committunt, dolato confiſi ligno vix eſſe

— — — — *digitis à morte remotos*
Quatuor aut ſeptem,

Juvenal. *Satyr.* 12. Marquardus *d. jur. Mercat. libr.* 1. *c.* 4. *num* 7. Crates Philoſophus dicebat inter vitam & mortem naviganti nihil intereſſe præter tabulam, *Guevar. libr.* 1. *horol.* 40. Conſentiunt alii ſcriptores, Plautus *in Menæch.* Ovidius 2. amor.

Et propè tam lethum, quàm propè cernit aquam.

Juven. Sat. 14.

I nunc & ventis animam committe.

Socius culpæ reus eſt, ſi merces ultra ſolitum navigio advehat, cùm terrâ poſſit, *l.* 52. *§.* 4. *pro Soc.* Ratio eſt apud Plinium, *libr. nat. hiſt.* 19. *in princ.* qui navigationem vocat ſummam audaciam, & injuriam humanæ naturæ, cui non fuerit ſatis hominem in terra mori, niſi periret & inſepultus. Vide Lucretium *libr.* 2. Plautum in Rudente *A.* 2. *S.* 6. Facit hoc periculum, ut exactio uſurarum centeſimarum concedatur, antiquato illo jure Veterum, quibus non fuit definita quantitas uſurarum maritimarum, unde factum eſt ut ſæpe modus excederetur: quod non obſcurè indicat *l.* 26. *in §. C. d. Uſur.* in verb. *nec eam excedere, licet veteribus legibus erat conceſſum.* Vide Molinæum *d. Uſur. q.* 3. *n.* 91. Salmaſium *d. mod. Uſurar. c.* 9. *p.* 380. Heraldum ad *jus Attic- & Rom. cap.* 20. *verſ.* 5. *& ſeqq.* Hinc Zœſius ad *tit. d. naut. fœn. num.* 4. in ea eſt ſententia fœnus nauticum etiam in jure canonico eſſe licitum, non tam ratione lucri, quod capitur ultra ſortem, quàm nomine juſti periculi. Nec alii erant Zeno, Menippus, Cato, qui fœnus nauticum in ſtoica ſua ſupercilia admiſerunt. Utcunque autem uſura centeſima ſufficere videbatur Imperatori in *d. l.* 26. ad compenſandum creditori periculum, effectum tamen ſortiri ipſius conſtitutio nequivit. Etenim non potuiſſe propter periculum ſuſceptum fœnus nautis

cum

rum restringi, contrariæ consuetudines successu temporis invalescentes docuerunt. Vide Jacq. d. Pottere *d. naut. fœn. th.* 49. 50. Marquardum *d. jur. mercat. libr.* 2. *c.* 13. *num.* 69. ubi de Hamburgo versùs Hispaniam.

XIII. Præludit Assecurationi Sponsio, de qua vide Simon. à Grœnevvegen in *tract. d. LL. abrog. ad l.* 108. *d. V. O.* Zypæum in *notit. jur. Belg. d. relig. & alea. usu vers. sponsiones.* Ludovicum Molinam *d. I. & I. tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 508. Magnif. Dn. Præsidis, Præceptoris summoperè colendi, manuductionem ad jus Canonicum ac Civile in *diff. Sponsio non est licita.* Si tamen è sponsione periculi aversio educeretur, opinio, quâ omnes lucro inhiant, foret veritas. Opinionis est, quod est & veritatis, & veritati repugnat. Veritatis est aliquam sponsionem esse licitam. Veritati repugnat omnem sponsionem esse licitam. Utrumque comprehendit *l.* 3. *d. Aleat.* cujus verba sunt, *In quibus rebus ex L. Titia & Publicia & Cornelia etiam sponsionem facere licet: sed ex aliis, ubi pro virtute certamen non fit, non licet.* Quæ autem sint illæ res, tradit *l.* 2. *in §. eod.* Vide *l.* 17. *§. ult. d. præsc. verb.* Non valent ergo sponsiones vulgares, quæ fiunt in incertum rei eventum, Wissenbach. *disp. ad Pand.* 23. *thes.* 18. *part.* 1. Dissentiunt Tuldenus *ad tit. C. d. aleat. num.* 3. Sande 3. *decis.* 9. *def.* 1. Benev. Stracca *d. Mercat. verb d. Sponsion. part.* 3. Gœddeus *d. C. & C. S. concl.* 1. *n.* 30. Christinæus in *decis. cur. Belg. vol.* 2. *decis.* 200. ubi tamen *num.* 5. excipit sponsiones & concertationes super ingravidatione fœminarum, quæ sint illicitæ & inhonestæ propter suppositiones & fraudes, quæ committebantur illarum occasione. Cur non excepit & illas fœminas, de quarum ingravidatione ut non quæratur, quàm latus suppositionum & fraudum se aperit campus. Eleganter Baldus ad *l. pen. C. d. sponf.* natura insitum esse mulieribus tacere. Elegantiores sunt Imperatores in *l.* 20. *C. d. nupt.* ubi puella cultu verecundiæ propriam noluit voluntatem depromere.

Vere priùs volucres taceant, æstate cicadæ
Mænalius lepori det sua terra canis,
Fœmina quàm juveni blandè tentata repugnet,
Hæc quoque, quam poteris credere nolle, volet.

Hanc puellæ verecundiam intuenti & quemadmodùm aliæ sint procacio-

procaciores, ſe exhibet Iſocrates, qui calcaribus in Ephoro, in Theopompo frœnis utebatur. Verecundanti puellæ admoveatur calcar, procaciori frœnum. Illa incitanda, hæc reprimatur: ſeu ut ſimiles ſint inter ſe, de altera limetur, quod alteri affingatur. Dum Proſerpina paſſa eſt ingenioſum laborem raptum ſuum diſtinctis gemmarum exprimere coloribus: paſſa eſt, quod voluit. Dum fugiebat, aureum Cupidinem femori appendit. Non audiamus puellam

— — — — — *plorabile ſi quid*
Eliquat & tenero ſupplantat verba palato.

Dum cupiunt hi ſponſores, imitantur illos Italos, quibus & hic luſus eſt, ut repente porrectis digitis certantium uterque numerum divinet: divinationem diſſimulent, vellent divinando non errare. Imitantur nautam Virgilianum, qui

— — — *clavum affixus & hærens*
Nunquam oculos amittebat, ſed ad aſtra tenebat.

Excipit Chriſtinæus *d. num.* 5. Sponſionem, cujus memorabile eſt exemplum apud Plinium *libr. N. H* 9. *c.* 35. in Cleopatra & Antonio, Dum, inquit, hæc cum exquiſitis quotidie epulis Antonii ſaginaretur, ſuperbo ſimul ac procaci faſtu lautitiam ejus omnem apparatumque obtrectabat: quærente eo, quid adſtrui magnificentiæ poſſit, reſpondit unâ ſe cœnâ centies hujus (quæ erat ducentorum quinquaginta millium) abſumpturam. Cupiebat diſcere Antonius, ſed fieri non poſſe arbitrabatur. Ergo ſponſionibus factis poſtero die, quo judicium agebatur, magnificam aliàs cœnam, ne dies periret, ſed quotidianam, Antonio appoſuit, irridenti computationemque expoſtulanti. At illa corollarium id eſſe, conſumpturamque in ea taxationem confirmans, ſolamque ſexcentis H. S. cœnaturam, i. e. quindecim centum millibus aureis. Inferri ſecundam menſam juſſit. Ex præcepto miniſtri unum tantùm vas ante eam poſuêre aceti (cujus aſperitas visque in tabem margaritas reſolvit) in quod unum ex unionibus, quos in auribus geſtabat, conjecit, & reſolutum ebibit. Lucius Plancus, qui ejus ſponſionis judex erat, impedivit, ne alterum viciſſim ſic abſumeret & condemnavit Antonium tanquam convictum. Excipit idem *num.* 8. omne id, in quo ludus eſt magiſter ignaviæ, inſtrumen-

ſtrumentum avaritiæ, fraudis officina, rei familiaris everſio, rixæ materia, morum pernicies, dignitatis labes, angor animi atque cruciatus & inſignis ignominia. In *l. ult. C. d. aleat.* permittit Juſtinianus quinque ludos, Monobolon, Contomonobolon, Quintanum contacem ſine fibula, Perichiten & Hippicen; ſed quemadmodum ibidem progreditur ad aleas, illarum uſus antiqua res eſt, & extra operas pugnatorias conceſſa; *verùm pro tempore abiit in lacrymas, multa millia extranearum nationum ſuſcipiens. Quidam enim nec ludentes, nec ludum ſcientes, ſed numeratione tantùm proprias ſubſtantias perdiderunt, diu noctuq; ludentes, argento, apparatu lapidum & auro. Conſequenter autem ex hac inordinatione blaſphemare Deum conantur & inſtrumenta conficiunt.* Quis non miſereatur veterum Germanorum, qui apud *Tacitum* aleam inter ſeria exercent, *tantâ lucrandi perdendive temeritate, ut, cùm omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo jactu de libertate & de corpore contendant, victus voluntariam ſervitutem adit. Quamvis junior, quamvis robuſtior, alligari ſe ac venire patitur.* Ut Creon ille in fabulis ardentem filiam amplexus, nihil eam juvit, ſed ſimul periit; ſic illi aleatores ardentem luſum amplexi, adeò ſe non juvant, ut ſimul cum luſu perire malint. Excipit idem Chriſtinæus *n.* 18. ſponſionem, quâ alter alterum in bibendo vel edendo ſuperet. Excipimus & nos, nec acclamamus victori quod mater Theſei apud Catullum,

Funeſtam antennæ deponant undiq; veſtem,
Candidaq; intacti ſuſtollant vela rudentes.

Facilè ſuperabit bibens, ſi ex Athenæo *libr.* 1. *c.* 24. propinet vinum Fundanum, quod robuſtum eſt & multùm nutrit, caputque & ſtomachum pertentat, & ideò in ſympoſiis rarò bibitur. Si è Blefkenio apud Beſoldum *libr. polit.* 1. *c.* 10. *n.* 6. *verſ.* 2. ſit ille Islandus, qui tonnam Hamburgenſem cereviſiæ plenam tam facilè ori ſuo admovebat, bibens ex illa, ac ſi unicam habuiſſet menſuram. In bibendo ſuperatum quadret illud Martialis *libr.* 3. *epigr.* 12. in Cerdonem

— — — *Luſiſti, ſatis eſt.*

Quadrat proverbium natum è Cumano aſino, ſibi leonis exuvias aptante, ſeſeque ad tempus pro leone gerente: quæ res aſino magno malo fuit, cum agnitus & omnium riſu alienâ pelle exutus

fuſtibus ad necem uſque cæderetur. Quo apologo monet Raderus ad *d. Martial. loc.* ne ſortis noſtræ obliti majora viribus conemur, ſed intra pelliculam & fortunam noſtram nos teneamus. Si non majora viribus conati fuiſſent juvenes quidam Agrigentini apud Athen. *libr.* 2. *c.* 1. vino calefacti, non eo uſque dementiæ proceſſiſſent, ut ſe in triremi navigare, & pelagus eſſe vehementer perturbatum arbitrarentur. Non omnem ſuppellectilem per feneſtras projeciſſent, quaſi gubernator navem exonerari præcepiſſet. Non cives occurrentes tanquam Tritones advocaſſent, ſique iis opitulantibus portum attigiſſent, non ſoſtra ſoteriaque fuiſſent polliciti. Conſultiùs egere populi Orientales, qui, teſte Suida, non habuêre pocillatorem, nullum pincernam. Quadrat in edendo ſuperantem, quòd tandem mors ſuperet,

Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam,
Jam te premet nox.

Quadrat in edendo ſuperatum Martialis ſolamen *lib.* 12. *ep.* 39.

Mullorum leporumq́; & ſuminis exitus hic eſt,
Sulphureusq́; color carnificesq́; pedes,
Non Albana mihi ſit commiſſatio tanti,
Nec Capitolinæ Pontificumq́; dapes.

Solamini eſt in has ſordes abire, & mutari vocatos piſces, lepores, & ſuillæ partem optimam, quæ ſumen eſt. Sequi pallorem & cruditatem: ille ex cruditate ſtomachi naſcitur; hæc ex immodicis epulis. Sponſionem hanc ſpreviſſet Auguſtus apud Suetonium *c.* 76. 77. qui *cibi minimi erat atque vulgaris ferè. Secundarium panem & piſciculos minutos, & caſeum bubulum manu preſſum, & ficos virides biferas maximè appetebat, veſcebaturq́; & ante cœnam, quocunque tempore & loco, quo ſtomachus deſideraſſet.* Verba ipſius ex epiſtolis ſunt, *Nos in eſſeda panem & palmulas guſtavimus.* Et iterùm. *Dum lectica ex regia domum redeo, panis unciam cum paucis acinis uvæ duracinæ comedi.* Et rurſùs. *Ne Judæus quidam, mi Tiberi, tam diligenter Sabbatis jejunium ſervat, quàm ego hodie ſervavi, qui in balneo demum poſt horam primam noctis duas bucceas manducavi, priùs quàm ungi inciperem. Vini quoque naturâ parciſſimus erat. Non ampliùs ter bibere eum ſolitum ſuper cœnam in caſtris apud Mutinam Cornelius Nepos tradit: Poſtea quoties largiſſimè ſe invitaret, ſenos ſextantes non exceſſit, aut, ſi exceſſiſſet, rejiciebat. Et maximè delectatus eſt*

rhetico, neque temerè interdiu bibit. Pro potione sumebat perfusum aquâ frigidâ panem, aut cucumeris frustum, vel lactuculæ thyrsum, aut recens acidumvé pomum succi vinosioris. Sponsionem hanc sprevisset Julius Cæsar, qui apud Suetonium *c.* 53. & vini erat parcissimus, & erat Catonis verbo unus, qui ex omnibus ad evertendam Remp. sobrius accessit. Cajo Oppio circa victum adeò indifferens erat, ut cum appositis asparagis pro viridi oleo conditum, hoc est unguentum instillaretur, aspernantibus cæteris, ipse facilè commanducavit, ne hospitem aut negligentiæ, aut rusticitatis videretur arguere. Spernunt omnes hanc sponsionem, qui Milonem, Χαλκεοϛῶτον appellatum, quòd in humeros taurum ingentem sustolleret, pugno aut talitro necaret, ac protinùs totum devoraret. Spernunt, qui Martialis Sextilianum, qui tantùm bibit, quantùm aliàs soliti sunt quinque equites.

XIV. Videamus tamen rationes dubitandi, quæ sponsionem improbant. Prima est, quòd calor spondendi meritò sit refrænandus. Resp. non tolli quòd refrænatur. Frænum est vel majoris cautionis, vel modi, vel prudentiæ. Major cautio est in *l. 9. in princ. d. public. & vectig.* quæ allegari solet: quoniam locatio vectigalium, quæ calor licitantis ultra modum solitæ conductionis inflavit, ita demùm admittenda est, si fidejussores idoneos & cautionem is, qui licitatione vicerit, offerre paratus sit. Modus est in donatione excedenti quingentos aureos, cujus frœnum est, ut actis intervenientibus insinuetur *§. 2. I. d. donat.* nec sit à monumentorum observatione libera, *l.* 34. *§.* 4. *C. eod.* Prudentia attendit reip. interesse, ne re suâ quis malè utatur, non tamen inhibet fidejubendi facultatem. Secunda dubitandi ratio est irrationabile videri hominem cordatum se suaque ludibrio fortunæ committere: incertus enim est fortunæ exitus, *l. sancimus.* 34. *§.* 4. *C. d. donat. l. planè.* 4. *ut in possess. legator.* R. 1. Hoc negari ex mente Ethnicorum, qui virtuti fortunam conjungebant. Vide Xenoph. in *œcon. c.* 8. Tullium in *Caton. M.* Livium *libr.* 1. *dec.* 4. ubi Sempronii virtutem fortuna secuta est. Pacatum in *paneg.* cui duo claros Duces faciunt, summa virtus summaque felicitas. Quo pertinet Symbolum, virtute Duce, comite fortunâ: sive ut Jason portæ suæ inscripsit: Virtuti fortuna comes. Resp. 2. virtuti fortuna conjungatur, non conjungitur temeritas: quæ temeritas sit Gygis

annulus, cujus beneficio omnia ex animi voto consequatur. R. 3. aliud est fortunæ committere, aliud fortunæ ludibrio, quod tum regnat, si fortuna nimis fatigetur, fatigata nimis, quanquam indulserit, in fine deficit. Sic Plinius *libr. 4. epist. 11 Valerius Licinianus heic modò inter eloquentissimos causarum actores habebatur, nunc eò decidit, ut exul de Senatore, rhetor de Oratore fieret. Itaque ipse in præfatione dixit dolenter & graviter: Quos tibi fortuna ludos facis? facis enim ex Professoribus Senatores, ex Senatoribus Professores.* Resp. 4. *d. §.* 4. non asseri fortunæ nihil esse committendum, sed incertum fortunæ exitum hoc suggerere, ut omnia certâ divisione concludantur. R. 5. in *d. l.* 4. non agi de fortuna, sed de re familiari, quæ inopinato fortunæ impetu amitti potest. R. 6. etiam agi de fortuna, quatenus circa incertum fortunæ exitum disponitur, arg. *l. 12. d. act. empt.*

Tertia dubitandi ratio est: quòd homines ad hujusmodi sponsiones ex mera plerumque jactantia, seu inconsulto quodam luxuriantis animi impetu sine ulla deliberatione matura, firmoq; mentis proposito præcipitantur potiùs quàm feruntur. Et hinc factum est, ut Romani veteres nuda pacta pro infirmis haberent, ne quis facilè amissione suum perderet, *l. jurisgentium.* 7. §. *sed cum nulla.* 4. *verf. igitur nuda. ff. d. pact. l. divisionis.* 45. *ff. eod. l. nuda.* 5. *C. d. C. & C. S.* R. Finckelth. *obs. 33. num. 26.* quod de jactantia & inconsulto impetu affertur: non indifferenter de sponsionibus dici potest; sed de sola præcipitatione, causâ inhonestâ, excessu nimio. Eamus per singula. Non tantùm de sponsionibus, sed de omni alio infertur. Quicquid est ex mera jactantia, est ex inconsulto quodam luxuriantis animi impetu, qui impetus excludit omnem deliberationem maturam, & infirmo mentis proposito præcipitatur potiùs quàm fertur. Ita se præcipitat Erothea Petroniana,

Quicquid in orbe vides, paret mihi florida tellus,
Quum volo spissatis arescit languida succis:
Quum volo, fundit opes, scopuli atque horrida saxa
Niliacas jaculantur aquas, mihi Pontus inertes
Submittit fluctus, Zephyriq; tacentia ponunt
Ante meos, sua flabra pedes: mihi flumina parent,
Hyrcaneq; tigres, & jussi stare dracones.

Si qui Eruditorum scire avent, quomodo hæc liberiora suis sint

castiganda

caſtiganda moderaminibus, illi legant Eraſmum *lib.* 1. *ep.* 12. *&* 14. *libr.* 2. *ep.* 22. *lib.* 5. *ep.* 24. *libr.* 12. *ep.* 7. *&* 29. *lib.* 19. *ep.* 15. *&* 91. *lib.* 20. *ep.* 15. *lib.* 31. *ep.* 44. *&* 45. & invenient quâ admiſſione alii eum vocaverint Magnæ libertatis & doctrinæ Theologum. Summum inter Eruditos Jovem. Magnum Bataviæ Cygnum. Nunc Atlantem, nunc Phœnicem, nunc miraculum naturæ æternum, nunc præſidium eruditionis, doctrinæ, pietatis, prudentiæ. Non admiſiſſet illud Poëtæ,

Teutona terra ſuum cùm miraretur Eraſmum,
Hoc majus potuit dicere, nil genui:
Quippe Deos inter, cælo ridente, relatum
Ipſe ſuum dixit Jupiter eſſe genus.

Non admiſiſſet alterum epicedium, de quo ut priori Magnif. Dn. Præſes noſtri ſeculi JCtus incomparabilis in *comment. ad princ. Procem. Inſt. th. ult.*

Hac quo ſecula neminem tulerunt
Majorem, neque priſca clariorem
Norunt tempora: nec cui futura
Parem poſteritas habebit.

Quare Romani veteres nuda pacta pro infirmis habuerint, de hoc dubia noſtrarum ſponſionum nil ſpondent.

Quarta dubitandi ratio eſt, quod ita concertantes nullam probabilem conventionis ſuæ cauſam reddere valeant, arg. *l.* 2. *§. circa* 3. *d. dol. mal. & met. excep.* R. in *d. §.* 3. proponi longè alium caſum, quo vel ab initio nulla cauſa ſuberat: vel juſta cauſa facta eſt non idonea. In ſponſione licita, quam licitam facit virtus, ſat probabilis eſt conventionis cauſa.

Quinta dubitandi ratio eſt, poſſe ſpe lucri quem invitari ad delinquendum, *l. illud convenire.* 5. *§.* 1. *d. pact. dot.* Unde non tantùm ſæpe inter victum & victorem magnum odium oritur, ſed & utrinque magnum quandoque committitur peccatum. Imò datur nonnunquam occaſio optandi alterius mortem. R. 1. virtutem, cujus eſt ſponſio, ſpe lucri non invitare ad delinquendum. R. 2. in *d. §.* 1. non proponi ſponſionem, ſed geminum pactum, & alterum invitare mulierem ad furandum, altero jus civile impugnari. R. 3. quod inter victum & victorem magnum oriatur

odium, causa est in iis ipsis, qui præter meritum odio prosequuntur. R. 4. Utrinque quandoque committi peccatum, hoc non est ipsorum limitum, intra quos sponsiones consistunt, sed ruptis limitibus latè evagatur. R. 5 occasio optandi alterius mortem est causa remota, quæ nihil prohibet ejus, quod est proximum. Hæc causa remota si talis agnoscatur, Assecurationis contractus & tum erit licitus, cùm quis securam reddit vitam alicujus pro pretio aliquo, ita ut, si ille ante id tempus mortuus fuerit, Assecurator solvat certam pecuniæ quantitatem. Addit Molina *d. tract. 2. disp. 507. num. 12.* Sicut donatio causâ mortis aut heredis institutio non improbantur, quia donatarius aut heres optare possunt mortem donantis aut testatoris, ut id emolumentum consequantur, quoniam id non est præbere illis occasionem illius pessimi desiderii, sed ipsos ex sua nequitia occasionem inde sumere: ita rem habere in proposito. Talis nequitia est apud Horatium *libr. serm.* 2. *s.* 5. in persona simulantis se amovere tabulas testamenti, & tamen veloci percurrit oculo.

— — — *quid prima secundo*
Cera velit versu, solus multis ne cohæres.

Sextam dubitandi rationem mutuantur è jure Saxonico, quibus respondet Val. Guil. Forsterus *d. domin. c.* 8. *à num.* 146. Plerique Saxonici Juris Interpretes contrarium statuunt, quoniam de jure Saxonico sponsiones nullibi expressè prohibitæ leguntur. Deinde posito sed non concesso Sponsiones jure Saxonico prohiberi, Saxones dissentire possunt. Postremò & in jure Communi & in Saxonico sponsiones sunt licitæ & illicitæ. Jusjurandum in litem est licitum, quò jurare in infinitum licet: est illicitum, quò Judex jurijurando modum statuere potest, ut intra certam quantitatem juretur. *l.* 4. §. 2. *d. in lit. jur.*

XV. Qui amplectuntur Assecurationis definitionem, operosè addunt illam omnibus definitionibus communem rationem, ob quam à definitione sit inchoandum. Secundò se tralatitio metu occultant sub eo, quòd omnis definitio in jure sit periculosa: Tandem (quod paucioribus erat absolvendum) abscindunt modò ambiguitatem, prolixitatem modò: modò putant emicare novum philosophantis acumen, quo separant conventionem à contractu, cùm contractus possit dici non equidem quævis conventio, sed

tio, ſed conventio talis. Cum his conveniunt, qui alligant tenacius Aſſecurationis objectum aut illud extendunt. Aſſecuratio eſt omnis illius, cujus poteſt eſſe periculum.

XVI. Aſſecuratio eſt contractus innominatus, quo indemnitas certo interveniente pretio præſtatur.

XVII. Genus Aſſecurationis eſt eſſe contractum. Hoc non tam refertur ad libertatem contractus celebrandi, à quo recedimus, *l. 22. §. ult. mand. l. 5. C. de O. & A.* quàm ad neceſſitatem contractus celebrati, è quo naſcitur ultrò citroque obligatio, quam ultrò citroque obligationem faciunt notam contractus reſpectivi, cùm tamen omnis contractus ſit ultrò citroque obligatio, *l. 19. d. V. S.* & mutuam præſtationem contineat.

XVIII. Eſt contractus innominatus, Rutg. Ruland. *d. Commiſſ. part. 3. lib. 3. c. 15. num. ult.* Struven *exerc. 25. th. 46.* quia in Aſſecuratione magis rem quàm conſenſum reſpicimus, utpote quę ſola initium obligationi præbet. In *l. 1. §. 2. d. rer. perm.* emptio venditio nuda conſentientium voluntate contrahitur, in quo à contractibus innominatis ſeparatur.

XIX. Hacpropter errant omnes ii, qui in Aſſecuratione eſſe ſocietatem arbitrantur. Non poteſt eſſe ſocietas, ubi non eſt commune periculum. Quòd Stypmannus, vel potiùs ejus continuator, *d. jur. marit. p. 4. c. 7. n. 123.* hic vult exſculpere ſocietatem leoninam, obtuſi eſt, quoniam eſt etiam ſocietas, in qua alter tantùm damnum patitur. Notandum inſuper non in eo eſſe ſocietatem, quod ſocietati civili eſt utile, uti eſt Aſſecuratio, quâ Mercatores audent merces ſuas ex uno loco ad alterum transportare, majori cum ſecuritate: nam per ſocietatem non intelligimus ſocietatem civilem, quæ eſt bonum publicum. Magis errant, quibus in Aſſecuratione eſt mandatum. Si eſſet mandatum, Aſſecuratio eſſet gratuita. Errat Molina *d. I. & I. tom. 2. tract. 2. diſp. 507. num. 2.* qui cenſet Aſſecurationem eſſe contractum emptionis venditionis, aut ad eum reduci, quo pro certo pretio venditur ſuſceptio periculi, ſeu obligatio ſolvendi æſtimationem rei, ſi pereat. Sicut enim jactus retis, h. e. jus ad piſces, qui retis jactu capientur, emitur ac venditur, *l. ſi jactum. ff. d. act. empt.* ita onus ſeu obligatio ſolvendi rem, ſi pereat, vendi ac emi poteſt juxta *l. periculi pretium. ff. d. naut. fœn.* Confirmat ſic ſuam opinionem Molina, quando

pretium

pretium promittitur pro Assecuratione rei alicujus, ut regulariter fieri solet, utique quia talis contractus est emptio venditio, perficitur solùm mutuo consensu; eritque contractus bonæ fidei. In hac Molinæ confirmatione latent & absurdum & dubietas. Absurdum est, Assecurationem perfici mutuo consensu, & ita perfici mutuo consensu id, in quo magis rem quàm consensum respicimus. Dubietas est, Assecurationem esse bonæ fidei, cùm omnes contractus innominati regulares sint stricti juris. En tibicen, cui innituntur. Marquardus *d. c.* 13. *num.* 32. scribit Assecurationem esse contractum bonæ fidei, quia in hoc contractu hac fide versandum: hæc bona fides contractum b. f. à contractu stricti juris non distinguit. Dubietatem in medio relinquimus: absurdo addimus absurdum, quo apud Stypmannum *d. jur. marit. d. p.* 4. *c.* 7. *à. n.* 98. absurdum est in emptione utrumque dare pecuniam: at hoc fit in Assecuratione. Addere potuisset & hoc, in emptione minùs præstari, quia præstatur culpa levis, quàm in Assecuratione.

XX. Errant, qui Assecurationem censent esse locationem & conductionem, quòd alter operam suam locet merces salvas faciendo: alter pro ea solvat mercedem. Non locator merces salvas facit, sed conductor. 2. conductor est conductor, antequam merces recipiat. 2. mercedis numeratio in locatione & conductione est duntaxat usûs.

XXI. Errant, qui Assecurationem censent esse stipulationem. Est stipulatio, si stipulatio sit medium, quo aliquid fit: non est stipulatio, si stipulatio sit genus. Sic sequeretur Feudum esse stipulationem, si solemni interrogatione præcedente & responsione congruâ in continenti subsequente, feudum alicui promissum fuerit, arg. *c. Imperialem d. prohib. feud. alien. per Frideric.* 2. F. 55. Ludvvel. in *synops. jur. feud. c* 7. Hoc solùm sequitur stipulationem, quæ abesse & adesse potest, Rutg. Ruland. *d. Commiss. part.* 3. *libr.* 3. *c.* 15. *num. pen.* esse contractum generalem, indeterminatum, pertinentem ad omnia, quæ munimento stipulationis confirmari possunt, ita ut stipulatio sit Assecurationis: non tamen Assecuratio sit stipulatio. Literarum obligatio potest dici Assecurationis: non tamen Assecuratio est literarum obligatio. Priori sensu literarum obligatio venit in accessionem: posteriori sensu est omne id, de quo quæritur. Престереà in hoc distinguitur Assecuratio à literarum

rarum obligatione, quòd hæc perimatur exceptione non numeratæ pecuniæ, quæ contra Fachin. 2. *controv.* 56. in Aſſecuratione non habet locum, propter inſtrumentum Aſſecuratorium paratam executionem ſecum ferens, Lud. Romanus ad *l.* 13. *C. d. non num. pecun. num.* 3. Weſenb. *vol.* 1. *conſ.* 24. *n.* 21. Stypmannus *dict. cap.* 7. *à num.* 514.

XXII. Errant, qui cenſent Aſſecurationem eſſe Fidejuſſionem. Suſcipere in ſe periculum de damno incerto non eſt fidejubere: quoniam & hoc eſt principalis obligationis, non tantùm acceſſoriæ, in ſe ſuſcipere periculum. Si negatum erat Aſſecurationem eſſe ſtipulationem, negari poteſt & hoc Aſſecurationem eſſe fidejuſſionem, quæ eſt ſtipulationis exemplum.

XXIII. Si aliquid concedendum eſſet, Aſſecuratio eſſet contractus anomalus, qui de utroque tam nominato quàm innominato participet, ut de Feudo conceſſit Curtius Jun. *p.* 1. *q.* 9. *n.* 3. *in fin.* Et ideò non neceſſum eſt arguere cum Stypmanno, *d. jur. marit. p.* 4. *c.* 7. *à num.* 162. Si jurisgentium pleræque conventiones nomen acceperunt tacito conſenſu, cur non idem potuit Aſſecuratio à multis vel pluribus gentibus adipiſci. Vel ſi à ſolis Romanis ſtipulatio conventio nominata potuit declarari, quis vetabit alios populos, ne Aſſecurationi id tribuerent. Imò ſi Imp. Zenoni licuit Emphyteuſin à locatione conductione, & emptione venditione ſeparare, §. 3. *I. d. locat. cond.* cur non Philippo Regi Hiſpaniarum poſt multas diſputationes licere potuerit Aſſecurationem ab emptione, locatione vel aliis conventionibus nominatis vel innominatis ſegregare. Impotentiores ſumus, qui cum Rege Hiſpaniarum contendamus: id ſolùm monſtramus, cui juris civilis negotio Aſſecuratio ſit magis vicina.

XXIV. In Aſſecurationem venit indemnitas, quâ quid intelligatur, definit fidejuſſor indemnitatis & *in l.* 5. *in princ. depoſ.* indemnitas ejus, qui depoſitum ſuſcepit. Definiri & ex oppoſitione periculi poteſt: non ſiniſterioris eventus, cùm periculum non ſit in ipſo ſiniſteriori eventu. Infert hic Cardinalis de Lugo, *d. I. & I. diſp.* 31. *ſect. ult. num.* 98. Si periculum reverà adhuc eſſet, ſed ex revelatione ſcires navem non eſſe ab hoſtibus capiendam, poſſes pretium accipere, quia cùm periculum ſit verum, nullus eſt defectus aut falſitas intrinſeca in re, pro qua pretium accipis, neq;

in ipſo periculo & obligatione ad ipſum: nam futurus eventus non tollit periculum: & pretium non accipitur pro eventu, ſed pro periculo eventus, quod eſt idem in ſe, ſive captura ſequatur, ſive non ſequatur.

XXV. Sub nomine periculi, de quo fit cautio, præ omnibus placet Loccenius *d. jur. maritim. libr.* 2. *c.* 5. *n.* 5. comprehendi omnem caſum, qui accidit à tempeſtate, ab hoſtibus, prædonibus, repræſaliis, ut vocant, arreſtis, aliisque modis uſitatis & inuſitatis, citra fraudem & culpam contrahentium, aut Domini mercium vel navis, Grot. *introd. jur. Holland. part.* 24. Periculum autem vel per ſpeciales caſus exprimi ſolet & ſic ad non expreſſa quis non tenetur. Vel principalibus caſibus enumeratis, generalis clauſula ſubjici ſolet, & ſic ad omne periculum tenetur, Rittersh. ad *l. contractus.* 23. *d. R. I. c.* 18. E contrariò omni periculo ſuſcepto poteſt quis limitare conventionem excluſâ unâ vel alterâ ſpecie, e. g. piratarum incurſu, & tunc excluſio unius facit incluſionem reliquarum. Sed & in certa ſpecie periculi poteſt reſtringi, ne reſpectu hujus vel illius caſus locum habeat, præſertim ſi ille caſus non facilè caveri queat.

XXVI. Loccenius confundit modos caſuum uſitatorum & inuſitatorum, quos alii vocant ſolitos & inſolitos, vel non tam confundit, quàm vult Aſſecuratorem omnium caſuum periculum recipere. An autem ſit diſtinguendum inter caſus ſolitos & inſolitos, vide Pantzſchmannum *quæſt. practicab.* 7. *part.* 1. Non ſint caſus alii inſoliti, quod nemo affirmaverit, caſus alii ſunt rari, communes alii. Quòd ſi Aſſecurator caſuum inſolitorum periculum in ſe recipiat, comprehendit caſus planè inſolitos, qui de mille annis unâ vice contigerunt, quosque ſeculis aliquot ſemel atque iterum eveniſſe obſervatum fuit, v. g. navim in balenæ molem ſub undis latitantem, impetu vehementiori illiſam, compagibus revulſis periiſſe; currum mercibus onuſtum, exortâ ſubitâ ventorum immanitate, de ponto in flumen præcipitatum. Ut tamen non comprehendantur, tutiùs eſt eos excipi in ſecuritatis apocha ſeu Pollice. Qui ſint caſus planè inſoliti, vid. Br. in *l.* 10. *§.* 1. *d. ann. leg. l.* 4. *§.* 4. *ſi quis caution.* & Menoch. *conſ.* 156. *num.* 6. *d. arb. Jud. libr.* 2. *cent.* 1. *caſ.* 80. *cir. fin. d. A. P. remed.* 12. *num.* 36. 37. Cravettam *conſ.* 95. *num.* 2.

XXVII. De

XXVII. De incendio minùs ambigitur. Non tamen Assecuratus agat Neronem, qui Romæ incendium è turre Mœcenatica prospectans lætusque flammæ pulchritudine halosin Ilii decantavit. Cogitet quod est humanitatis, se esse Assecuratorem, cui incendium noceat. Non etiam præcedat fraus Assecurati, cui factum suum nocet, *l.* 155. *in princ. d. R. I.* nec culpa nautæ, qui rectâ navigatione omissâ, devia littora sectatur, ut ille, qui *in l. penult.* C. *d. navicul. libr.* 11. fiscales species suscipit deportandas. Et tenetur, qui ad alium minùs tutum portum, quàm fuerat conventum, navim applicat: merces humore, non tamen ex tempestate contracto, deteriorari, vinum acescere, grana à curculionibus, ligna à teredine, pannum à tineis absumi, à muribus arrodi sinat. vid. *l.* 3. C. *d. naut. fœn.* Tunc si ex fraude Assecurati, & culpa nautæ sequatur incendium sive aliud, alius eo nomine non tenebitur.

XXVIII. Ut non præcedere potest fraus Assecurati nec culpa nautæ; ita nautæ non imputandum id, in quo nulla nautæ est culpa, & omne, quod à nauta est factitatum, Assecurati consensum comitantem habuit. Apud Stypmannum *d. jur. maritim. p.* 4. *c.* 10. *num.* 79. occurrit lepidus casus inter cœnantes aliquando convivalibus sermonibus agitatus, quem refert Magnif. Dn. Præses, Patronus & Præceptor ætatem devenerandus in Manuductione sua ad jus Canonicum ac Civile in diff. *Usum tollit abusus.* Negotiator aliquot centum oves cum opilione, cujus custodiæ eas commiserat, vult flumen trajicere, & convenit cum nauta, ut in singula capita ovium solidum daret: Hic oves pontonibus imponit, & fortè fortuitò simul aliquot viatores ad trajiciendum intrant. Inter eos unus, dum hinc inde in flumen jactantur, obdormit, & capite hinc inde moto & vacillante, ut dormitantes facere solent, quasi minitari videtur. Hoc dux gregis caper videns in ipsum cornibus arietat: ille inter somnum & vigilias medius dum caprum palmâ feriendo à se amovet, ipsum terret, qui protinùs in mare delabitur, & subitò post ipsum omnes ferè oves. Hic Assecurator non tenetur. Quòd enim negotiator aliquot centum oves cum opilione nautæ commiserit, in id Assecuratus consenserat. Et hoc Assecuratus potuit scire caprum in dormitantes, si capite hinc inde moto & vacillante dormiant, arietare. Potuit scire caprum territum ac in mare dilabentem sequi oves.

XXIX. Alia est facti species, quâ non interrogatúr, num Assecuratus consenserit, sed interrogatur, num Assecurator consenserit? Subsumit Marquardus *d. loc. num. 62.* Si in una & eadem navigatione merces transferuntur ex una navi in aliam, & novissima deperdatur cum mercibus, Q. num Assecurator teneatur de tali periculi eventu? & resp. inspiciendam esse formam Assecurationis, an in ea mentio facta novissimæ navis, an minùs. Si prius, utique ex lege conventionis tenetur, modò absque dolo atque culpa iste casus contigerit. Si mentio facta non sit, non tenetur. vid. Molinam *d. l. & l. tract. 2. disp.* 507. ubi *num.* 8. agit de eo, qui Assecurationem petit in navem vacuam, quam affirmet esse onustam mercibus. *Num.* 10. agit de eo, qui nihil habebat in bonis, & tamen navim pro aliquo pretio assecuravit, habens in corde, si navis pereat, fugere in aliam regionem, ubi de eo nihil sciatur.

XXX. Alia facti est species, quâ ex Astrologia, non fore tempestates: ex literis amici, non fore piratas, intra Vestæ penetralia occultamus. Astrologiæ quænam est adhibenda fides? nulla eorum est, qui falsò se Astrologos jactant. Exiguam merentur, qui tales sunt. Priores repræsentant Christianum Becmannum, qui, nescio quâ occasione, inciderat in aliquot paginas græco sermone conscriptas. Cùm verò literæ, ut solet, paulò grandiores, variisq; flexibus circumductæ apparerent, homo simplex æstimabat characteres esse magicos atque præstigias, quibus oculi animique legentium præter opinionem fascinentur: ideoque sine mora ad focum properans, quicquid erat paginarum, infelicibus ustulavit flammis. Repræsentant Saturnum, qui in conjugium acceperat Rheam, & cum responso Astrologi commonitus esset, quòd, qui ex eo nasceretur, fortior ipso futurus esset, regno eum depulsurus omnes, qui ei nascerentur, filios devorare, instituit. Huic ergo primus nascitur filius, quem Aiden appellarunt, quem adsumptum devorat pater. Post hunc secundum genuit, quem Neptunum dictum, simili modo devoravit. Novissimum genuit eum, quem Jovem appellant, sed hunc miserans mater Rhea per artem devoratori subtrahit patri, &, ne vagitus pueri innotesceret, Corybantas quosdam cymbala fecit ac tympana percutere, ut obstrepente sonitu vagitus non audiretur. Joan. à Wovver in *not. ad. Minucium Felicem.* Posteriores Astrologi, qui exiguam merentur

rentur fidem, non ſapiant ultra crepidam: non, dum cœleſtium ſiderum vim & efficaciam contemplantur, civitatum everſionem evincere conentur: aut eos ſalsè illudimus cum Eobano Heſſo,

Ah miſeros, qui ſigna notant, & ſidera ſpectant,
Et ſpes inde hominum, vanaq; vota trahunt.

Aut cum Homero, è quo loquitur ſepulchrum, *Heic jacet*
Calchas Theſtocides augurum longè præſtantiſſimus,
Qui noverat & præſentia & futura & præterita,
Et navibus via dux fuerat Græcorum ad Ilium
Suam ob artem vaticinandi, quam ei præbuit Phœbus Apollo.

Knipſchild *d. jurib. & privil. civit. Imper. libr.* 1. *c.* 15. *num.* 8. Vide Curtium *libr.* 3. Tholoſanum *d. rep.* 21. *c.* 9. *num.* 12. Arumæum *de jur. publ. vol.* 1. *diſc.* 28. *à th.* 10. Beſoldum *libr. politic.* 2. *c. ult. num.* 4. apud quem Ethnicorum Theologia nil niſi Aſtrologia fuit: non tamen ſtatuas, ut multi ſibi perſuadent, adorabant, ſed fuerunt ſpirituum aſtralium magica ſigna, quorum interventu ſuis ſe aſtris & geniis devinciebant. Vide Anſaldium *d. juriſdict. part.* 4. *tit.* 8. Manuductionem Magnif. Dn. Præſidis, JCti famigeratiſſimi, ad jus Canonicum & Civile in diſſ. *Sortilegia vetantur.* Quod adjicitur de literis amici, eas poſſe promittere non fore piratas: promitteret forſan, ſi idem amicus eſſet Aſtrologus. Non poſſunt promittere non fore piratas. An poſſunt promittere piratas, omni crudelitate efferatos, quibus omne fas nefasque luſus eſt, à libidine temperaturos? ſimul terras & maria latrocinantur, ipſâ fronte crudeles, humano ſanguini aſſueti præferunt ante ſe vincula & catenas, gravia capitis onera. Eumenio in *paneg. Conſtant. Cæſ.* recurſat in animo illa ſub Divo Probo & paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia & indigna felicitas; *qui à Ponto uſque arreptis navibus Græciam Aſiamq; populati, nec impunè pleriſque Libiæ littoribus appulſis ipſas poſtremò navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracuſas, & immenſo itinere pervecti Oceanum, quà terras irrupit, intraverant, atque ita eventu temeritatis oſtenderant, nihil eſſe clauſum piraticæ deſperationi, quò navigiis pateret acceſſus.* In literis amicorum præcipua ſunt meritorum & officiorum momenta. Aſt nullum conſequimur meritum, ſi polliceamur non eſſe piratas, & piratæ invaſerunt: Officit officium, ſi ſuadet ſecuritatem, ubi imminet periculum: cum extra tela poſitum, quem circumdat undecunque metus.

XXXI. Hactenus Assecurationis genus & partem differentiæ illustravimus: illustranda nunc pars reliqua, in verbis, *certo interveniente pretio præstatur*.

XXXII. Non initur Assecuratio nisi certo interveniente pretio, & hoc vult Molina *d. disp.* 507. *num.* 2. juxta quem licet periculum rei alicujus suscipi possit gratis, atque adeò tunc contractus non sit onerosus, sed gratuitus, pertineatque ad donationem ac liberalitatem: quia tamen regulariter non ita celebratur, contractus Assecurationis est onerosus. Non quæritur an periculum rei alicujus suscipi possit gratis; sed an natura Assecurationis sit gratis suscipere rei alicujus periculum. Si hæc esset natura, Assecuratio esset species donationis, & quis non tam susciperet rei alicujus periculum, quàm jus suum remitteret. Quærere præterea, an Assecuratio referatur inter contractus onerosos? hæc quæstio non esset pluris, quàm si quæreretur, an contractus innominatus referatur inter contractus onerosos?

XXXIII. In hoc certo interveniente pretio quatuor exploremus. 1. debere esse pretium. 2. pretium illud intervenire. 3. pretium, quod intervenit, esse certum. 4. an pretium non alio nomine indigetetur, & quid ei æquipolleat.

XXXIV. Debet esse Assecurationis pretium, ne officium Assecuratoris ei sit damnosum *l.* 7. *testam. quemad. aper. l.* 54. *d. R. V. l.* 5. *§.* 13. *d. his, quæ ut indign. l.* 28. *Ex quibus caus. maj. in integr. restit. l.* 61. *§.* 5. *d. furt. l.* 26. *C. d. administr. tut.*

XXXV. Pretii illius interventus est vel perfectionis vel consummationis. Perfectionis est conventio de pretio. Consummationis est pretii traditio. Et perfectio & consummatio se exhibent in emptione venditione. In *princ. I. d. empt. vend.* cum emptio & venditio contrahitur simul atque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit, quia sufficit necessitas traditionis *§.* 2. *I. d. donat.* illud est perfectionis. Quod autem in emptione-venditione est consummationis, de eo agit *l.* 7. *§. pen. de publ. in rem act.* ubi ut publiciana competat, *hæc debent concurrere, ut & bonâ fide quis emerit, & ei res empta sit eo nomine tradita. Cæterum ante traditionem quamvis bonæ fidei quis emptor sit, experiri publicianâ non poterit.* Quid definiendum, si assecuratus præmium sive periculi pretium realiter non persolverit, num ad damni subsequuti emendationem

obligatus

obligatus est Assecurator? R. Marquardus *d. l. num. 12.* non tam ex regulis juris communis, aut etiam alterius cujuslibet stylo & consuetudine, quam observantia illius loci, in quo lis movetur.

XXXVI. Pretium, quod intervenit, est certum, si certitudinis illius sit necessitas, sive deficere possit, sive existat, sive ab initio sit nulla. Est necessitas, si pretii determinatio conferatur in arbitrium Assecurati vel Assecuratoris. Hic iterum est imitatio emptionis venditionis, nam in vendentis vel ementis voluntatem collatâ conditione comparandi, quia non adstringit necessitate contrahentes, obligatio nulla est, *l. 13. C. d. C. E. l. 7. in princ. ff. eod.* Ab hac autem imitatione ad ipsam Assecurationem non meliùs progredimur, quàm à dorso piscis ad carinam: à cauda piscis ad puppim: à capite piscis ad proram: à pinnis ad remos.

XXXVII. Certitudinis necessitas deficere potest, ut in casu legis 25. *in princ. ff. locat.* ubi Gajus, *Si merces promissa sit generaliter alieno arbitrio, locatio-conductio contrahi non videtur. Sin autem, quanti Titius æstimaverit, sub hac conditione stare locationem, ut si quidem ipse, qui nominatus est, mercedem definierit, omnimodò secundùm ejus æstimationem & mercedem persolvi oporteat, & conductionem ad effectum pervenire. Sin autem ille vel noluerit vel non potuerit mercedem definire, tunc pro nihilo esse conductionem, quasi nullâ mercede statutâ.* Vide *l. ult. C. d. C. E.*

XXXVIII. Existit certitudinis necessitas, quando species vel quantitas, quæ in obligatione versatur, aut nomine suo, aut eâ demonstratione, quæ nominis vice fungitur, qualis quantaque sit, ostenditur, *l. 6. d. R. V.* Quæ demonstratio sit manifesta, vel ex se, vel in relatione ad aliud, *d. l. 7. §. 1.*

XXXIX. Ab initio est nulla certitudinis necessitas, in qua non utrumque concurrit, & ut naturâ & ut pronunciatione res certa sit: deficiente enim uno res variabilis existit, & dehinc incertitudinem involvit, quod exemplis declarat Frantzkius ad *d. t. d. C. E. n. 27.* Si promittam Stichum aut Pamphilum, res quidem per naturam & demonstrationem certæ sunt: at pronunciatione propter disjunctionem, sub qua promissio facta est, incertæ, cùm in electione sit debitoris, uter solvi debeat: item uter eorum alteri superstes sit mansurus, donec solvatur *l. 25. in princ. & §. qui illud d. V. O.* Idem est si quis hominem in genere promittat. E contra Si

tra si quis v. c. ex fundo Corneliano permittat fructus hoc anno nascituros, pronuntiatione quidem & sermone constat, quid & quale promissum sit, sed cùm fructus per naturam non appareant, & incertum sit, an nascituri sint, stipulatio quoque certa, vel condictio pro illis competens certa dici non potest.

XL. Hoc pretium Hahnio *ad tit. ff. d. praesc. verb. n. 4.* vocatur praemium, & nos supra *th. 35.* ita vocavimus. Quod de viirtute Juvenal. S. 50.

— quis enim virtutem amplectitur ipsam
Praemia si tollas?

idem in assecuratione verum. Nec insubidum fuerit, de eodem praedicari pretium & praemium, ita ut pretium in Assecuratione sit praemium ei, qui à natura contractus recedit. Imò si alteri plus tribuendum, plus erit in praemio quàm in pretio, quippe quod potest habere locum, ubi pretio locus non esset, *arg. l. 6. in princ. mand.* Alio sensu plus erit in praemio, quàm in pretio, si pretium sumatur pro mercede, ut in *l. ult. §. ult. d. L. Rh. d. jact. l. 28. §. ult. l. 52. in §. l. 58. in princ. ff. locat. l. 10. §. ult. d. A. vel A. P.* Vel potest pretio accedere praemium. Card. d. Lugo *d. sect. ult. n. ult.* docet, quomodo licitum sit, quando aliquid sub hasta venditur, aliquid promittere, & dare ei, qui pretium auxerit: videtur enim non licere id accipi, quia eo ipso videtur emptor totum id detrahere de justo pretio rei, quod offertur. Respondet Lugo licitum esse, ad alliciendos emptores, & reduci posse Assecurationem, pro qua praemium accipit obligans se vicissim ad securitatem venditionis pro justo pretio, de quo periculum erat propter penuriam emptorum. Addere possem pretium dici ejus, quod est vilissimum, *l. 9. §. 2. d. A. R. D. junct. §. si quis I. d. R. D.* imò pretium esse ejus, in quo non tam pretium, quàm dignitas attenditur, *l. 23. §. 3. ff. d. R. V. §. litterae. 33. d. t. I. d. R. D.*

XLI. Huic pretio seu praemio addit Molina *d. disp. 507.* interesse aliud. Interesse potest esse, quod aequipolleat: non potest esse interesse à pretio vel praemio aliud, cùm pretium seu praemium sit ejus, cujus interest accipere praemium seu pretium. Quod autem in hoc interesse latere queat alia affectio, seu etiam privati utilitas, non movet. *l. 33. in princ. ad L. Aquil. l. 63. in princ. ad L. Falcid.* Ne quid lateat, omne exprimi debet. Ita non anxiè indagandum,

gandum, an Assecuratione simpliciter factâ tantùm prima navigatio, an & secunda intelligatur? quia ex pretii, præmii, ejus, quod interest, determinatione id liquebit.

XLII. Quum pretium seu præmium debeat esse munitum suis conditionibus: quas duas facit Hahn. *ad d. t. d. præf. verb. num.* 4. Prima est,

XLIII. Præmium sit æquale periculo, quod suscipitur tempore contractus, juxta communem æstimationem: alioquin contractus Assecurationis esset injustus, si non præstaretur pretium arbitrio boni viri conveniens assecurationi, Santerna *d. sponſ. Mercat. part.* 5. *num.* 6. Stracca *d. Assecur. in præf. num.* 45. *&* 48. Lessius *d. I. & I. libr.* 2. *c.* 28. *tit. d. fidejuss. & assecur. dubit.* 4. *num.* 24. *vers. dico secundò.* Rebell. *d. oblig. instit. libr.* 16. *tit. d. contr. assecur. quæst. unic. num.* 3. ubi dicit hunc contractum licitum, dummodò interveniat justum pretium juxta communem æstimationem hominum pro rei periculo ac circumstantiis determinandum, Azor. *instit. moral. tom.* 3. *libr.* 11. *c.* 18. ubi dicit hunc contractum reduci ad contractum innominatum Do ut Facias, & nihilominùs postulare justum pretium, quod fuerit communi hominum æstimatione, vel aliquâ lege humanâ taxatum, ut refert Franciscus Niger Cyriacus *controv. forenſ.* 465. *à num.* 16. Vide Cardinalem de Lugo *d. sect. ult. num.* 94. ubi addit, pretium non consistere in indivisibili, sed habere summum, medium, infimum, sicut in emptione venditione: & sicut variatâ circumstantiâ variatur periculum, ita variari debet pretium justum. Hæc quoad primam conditionem. Secunda est.

XLIV. Semper sit de damno sub ratione incerti, h. e. de dubio eventu apud utrumque contrahentem, seu de rebus dubiis & periculo subjectis. Si enim Assecurans sciat merces jam salvas pervenisse, licèt ab aliis ignoretur: vel qui Assecurationem petit, sciat rem periisse, aut ita cum ea comparatum, ut certò sit peritura, ille præmium sibi pro Assecuratione pacisci nequit, nec hic securitatem exigere. Subsumit Molina *d. disp.* 507. *num.* 4. Si is, qui Assecurationem petivit, dum contractum celebravit, sciebat id, cujus Assecurationem petebat, jam periisse, contractus est nullus, neque potest accipere valorem rei, quæ periit; sed solum pretium, quod pro Assecuratione dedit, solvendo expensas omnes, si quæ factæ sunt in celebrando contractu, & insuper solvendo Assecu-

ratori, si quod damnum ei emersit, aut lucrum ei cessavit ob talem contractum, quia fortè ea de causa destitit ab alio contractu, in quo fuisset lucratus.

XLV. Hactenùs erat Assecurationis definitio: Alii nunc indagarent eos, qui contractum hunc celebrant; cum quibus hic contractus celebrari nequit; verùm hæc indago celebrantium hunc contractum est communium interrogationum, quæ omni materiæ se commodant. In interrogationibus autem, cum quibus hic contractus celebrari queat, Delio natatore opus est. Si obscurum est illud Antonii à Vacca qui Principem mundi dominum esse dicit respectu generis generalissimi, non respectu generis subalterni, heic totâ caligine circumvenior.

XLVI. Missis his nos immittamus Assecurationis Divisionibus, quarum partem non faciat Assecuratio publica, quæ est vel rerum vel hominum. Rerum est apud Molinam *d. disp.* 507. *num.* 1. mensa publica assecurantium, cui regiâ authoritate notarius est constitutus. Hominum rursùs est vel manentium vel aliò euntium. De manentibus agit Sotus *d. Just. quæst.* 7. *art.* 1. & his dicit Assecurator, Largire mihi tantum & ego securum te facio, quid in his nundinis, in quibus es, aut ad quas proficisceris, tantum vel tantum lucraberis, ita ut si minùs lucreris, incrementum tibi solvam.

XLVII. De aliò euntibus agunt Juris publici Concinnatores. *Si prædones nefarii publica in via mercatorem aut quem alium viatorem suâ violentiâ impetuq; opprimant, & pretiosas ei merces pecuniamvé eripiant, an Princeps, Comes aut alius Dominus, in cujus territorio isthac depradatio facta est, resarcire damnum illud mercatori aliivé viatori teneatur nec ne?* Concludit Bocerus *c. d. Reg. lib.* 2. *num.* 156. heic nullam esse obligationem. Vide Donellum *libr. comment.* 12. *c.* 2. *in princ.* Et licet stipulanti viatori promiserit publicanus dominum territorii resarturum, si quid publica in via prædonum impetu amiserit, non obligatur ex eo dominus, *§. si quis alium.* 3. *I. d. inut. stip.* Princeps tamen credat, quod apud Lampridium credidit Alexander Severus, se fuisse officio functum, quòd fures persequeretur. Addit Septimius, qui vitam ejus non mediocriter exequutus est, tanti stomachi fuisse Alexandrum in eos Judices, qui furtorum famâ laborassent, etiamsi damnati non essent, ut si eos casu aliquo videret, com-

ret, commotione animi choleram evomerit, toto vultu inardescente, ita ut nihil posset loqui. Comes credat, quod apud Marq. Freherum credidit Fridericus Palatinus I. cujus hæc laus inter alia tumulo inscripta legitur, FULMEN PRÆDONUM. Raptores & prædones imprimis exterminavit, eorumque arces solo æquavit, terrarum itinera viatoribus tutissima fecit. Æmulentur territoriorum Domini Henricum VIII. Anglorum Regem, de quo *lib. 6. epist.* 12. Erasmus *latrocinia, à quibus nihil hactenus usquam tutum erat in Anglia, mirâ severitate compescis, nocentes profligas, ociosis erroribus ditionem liberas.* Sanè si heic aliqua esset obligatio, cui usui esset illa securitas, quæ præstatur citato ad certum locum pro aversione periculi vel offensionis, quæ metuitur à persona Judicis aut adversarii, de qua Colerus *d. process. execut. part.* 4. *c.* 1. *num.* 203. Carpz. *in pract. crimin. part.* 3. *quæst.* 112. Regerere quis posset majorem hoc casu esse obligationem. Resp. non tamen esse omnimodam, quæ omnem securitatis rogationem superfluam putet. Hinc Mævius ad jus Lubecense *libr.* 1. *tit.* 1. *art.* 11. *à num.* 39. etsi ipsius judicii, quod sanctum esse debet, authoritate cuilibet securitas constituta, *Novell.* 17. *§. patrocinia. c.* 1. *d. pac. tenend.* & ipsa citatio tacitam securitatem secum ferre videatur, juxta vulgatum, die Vorladung bringe das Gleite mit sich auff dem rucken. Wesenb. *consil.* 35. *num.* 11. Zanger *d. Except. part.* 2. *c.* 5. *num.* 8. ideoque fortè videri queat hic ut supervacuum frustra precibus postulari, *l. unic. C. d. thes.* meliùs negligi, *l. hac stipulatio.* 14. *§. Divus. ff. ut leg. nom. cav.* quia tamen creditum est, quò plus periculi subest, eò majori cautelâ opus esse, *l.* 1. *§.* 5. *d. Carbon. edict.* nec abundantem cautelam nocere, *l. testamentum.* 17. *C. d. testam.* usu magis quàm jure effectum, ut tabulæ securitatis obtineantur, Rutger. Ruland. *d. commiss. & commiss. p.* 2. *libr.* 3. *c.* 12.

XLVIII. Divisionum Assecurationis partem non faciat Assecurationis objectum, quod in immensum evagaretur, prudenti tamen Assecurato observandum, ne ambiguum Assecurationi obrepat. Sic quæri potest de mercibus navi nondum illatis, si post Assecurationem inferantur, & naufragio seu direptione sequutâ perierint, an ad eas porrigatur Assecuratio? & negatur, quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, *l.* 3. 8.19. *Si cert. pet.* Barbosa *axiom.* 12. *n.* 7. Sic quærit Marquardus *d. c.* 13.

num. 19. An in Aſſecuratione mercium intelligatur pecunia, ſi ſcil. Aſſecuratus inter merces reliquas aliquot ſaccos nummis ſive argenteis ſive aureis turgidos, deliteſcere voluit? inficiandum id primo intuitu videbatur, eò quia aſſecuratus fortè pecunias illas mercium loco non habuit: quod verò propterea quis non habet ut ilicò diſtrahat, mercium numero non continetur, niſi ex evidenti voluntate aliter appareat, Ulp. in *l. 73. §. 4. ff. d. leg. 3.* Hinc in jure obtinet, ut in dubio quodcunque negotium ex contrahentium intentione, inprimis in foro Mercatorum, explicandum ſit, *c. 4. X. d. pignor.* Bl. *conſil. 34. n. 2. vol.* 4. Rot. Genu. *deciſ. 63. num.* 3. At verò cùm ſub generali mercium appellatione comprehendantur pecuniæ, tanquam ad res mobiles pertinentes, juxta *l. mercis. 66. d. V. S.* Et procul dubio aſſecuratus detrimento, qui mercium indemnitatem indiſtinctè promiſerat, earundem ablationem imputaſſet, adſtructivæ potiùs inhærendum ſententiæ: quibus tamen hanc cautelam cum P. Santern. adhibemus, niſi uſus loquendi aliam interpretationem ſuadeat, & niſi expreſsè in Pollice de hoc conventum.

XLIX. Proximitatis nexu adhæret ſuperiori & iſthæc diſquiſitio. Nonnullus ſimpliciter navis aſſecurationem, uti Interpp. fandi mos eſt, in Pollice procurat, an navis tantùm, aut mercium tantùm, an verò navis ſimul atque mercium diſpendium paciſcendo tranſtuliſſe in alium æſtimandus ſit? diſtinctione hanc rem expeditam dari poſſe arbitramur. Penſitandum eſt, an ſecuritatis commoda quærens ſit navis dominus, nullas in ea habens merces: quo caſu de mercibus ſenſiſſe neutiquam videtur, tum quod ad illum non pertinent, nec obligatas ſibi, nec ex officio de iis paciſcendi poteſtatem habet *l. 6. C. d. reb. alien.* tum quòd propria continentis denominatio minimè ambitu ſuo contentū contineat. Tum deniq; quod in dubio ab uſitata & propria verbi ſignificatione non recedi oportet, *l. 69. ff. d. leg.* 3. An verò alio navis magiſtro mercibus ſuis ſaltem onerarit, & tunc certè ex mente & voluntate ſtipulantis aliud nihil colligendum, quàm quòd per continens contentum, hoc eſt per navim merces, quæ in navi exiſtunt, intellexerit. An denique ſimul & navis & mercium dominus ſit: atque tunc demùm corpus navis aſſecurare voluiſſe putandus. Hactenus Marquardus, cujus concluſio equidem vero

non eſt

non est aliena: sed in hac disquisitione non video illum navis dominum, qui non habeat merces. vid. Marquard. *d. l. n.* 23. 2. in illo navis domino non video continens, non contentum, sed vacuam navim. 3. merces non faciunt, ut ab usitata & propria verbi significatione recedat is, cui nullæ sunt merces. 4. navim securam esse non interest ejus, cujus non est navis. 5. Si quis navis simul & mercium dominus sit, non dubitandum est de assecuratione eorum, quorum est dominium. 6. qualis foret hæc Pollicis formula, si ultra formulam aliquid intelligeretur? Simpliciùs sic habendum, navis dispendium, & esse ipsius navis & ejus, quod est à navi, & ejus, quod in ipsa navi contingit.

L. Dividitur Assecuratio in terrestrem & maritimam. Illa est, quâ super rebus, quæ terrâ, hæc super rebus, quæ mari transvehuntur, Stypmannus *d. loc. num.* 27. Non abducat ab hac divisione, quòd Assecuratio maritima sit frequentior, terrestris non sit æquè frequens. Hoc tantùm in quæstionem venit, an non sit aliqua Assecuratio terrestris. Si frequentiùs & minùs frequens impedirent divisionem, cæteri pisces, qui non sunt Haleces, non venirent in divisionem. Ex una piscatura halecum, quæ ex Arctoi maris latebris (in nullo enim flumine, neque mari mediterraneo, sed solo Septentrionali Oceano reperiuntur) præcipitante jam vere velut commutatis sedibus, tantâ multitudine, ut oppositis retibus sisti nequeat eorum impetus, in æstiva contendunt palabundi, in Hollandia quotannis unum millionem, & quatuor centena ac septuaginta millia confici ajunt. Aut si alii pisces venirent in divisionem, qui sunt frequentiores, ut Argentinæ sunt pisciculi, quorum mille sunt unius deglutionis, cum frequentioribus non venirent haleces: non venirent cum Nasonibus, qui in Byrsa Basiliensium capiuntur frequentissimi: non venirent illi cum aliis piscibus, qui apud Plinium *libr. N. H. 9. c.* 11. reliquis animalibus sunt fœcundiores. Decidamus in eo, quod est frequentius; & non æquè frequens. Circa idem si versentur frequentius & non æquè frequens, frequentioris major est ratio, *l.* 4. *d. LL. l.* 3. *si pars hered. pet.* Si versentur circa diversa, ut alia est insula in flumine nata, alia nata in mari *§.* 22. *I. d. R. D.* habetur utriusque ratio. Accedit non æquè frequentem esse Assecurationem terrestrem, frequentiorem esse maritimam, non in relatione ad ipsam Assecuratio-

nem, quæ utrinque poteſt eſſe par & æqualis, ſed in relatione ad periculum, quod in mari ſæpius contingere ſolet. Sic etiam elidi poſſet hæc diviſio Aſſecurationis in terreſtrem & maritimam, quòd terreſtris non æquè ſit neceſſaria, cùm major & infeſtior ſit maris ſævitia. Ubi navis (ita Santerna) ſive culpâ nautæ, ſive vi ventorum, in Syrtes ſcopulosque impegerit, vel etiam fluctibus obruta fuerit, actum eſt de vita, nec arte corrigi hoc malum poteſt. Imber, fulmina, tonitrua, tempeſtates in terra ſi imminuant, potes aliquò te recipere & continere, quoad illa præterierint. Apud Athenæum *lib.* 8. Anarcharſis interrogatus, quæ tutiora eſſent navigia, rotunda an longa? reſpondit, quæ in terram deducta eſſent. Potuiſſet Santerna hoc Athenæi addere: forſan & Vibones, Britannicæ herbæ flores, qui devorati ante tonitrua à fulminibus ſecuros reddere exiſtimantur, Plin. *libr.* 25. *c.* 5. Non quæritur, an Aſſecuratio terreſtris æquè ſit neceſſaria, ſed annon ſit eadem cum maritima & communem habeat effectum: licèt æquè neceſſariam dixiſſet Mucianus, quem in Dionis compendio legimus habuiſſe ſemper in ore pecuniam nervum eſſe Principatus. Dicerent æquè neceſſariam, qui terreſtres tempeſtates horrent, quique ipſi ſecuritati diffidunt: imò ſecuritatis ſponſoribus credere nolunt.

LI. Utraque Aſſecuratio eſt vel totalis vel partialis. Solent, qui magnam mercium copiam aſportant, non eam totam aſſecurare, ſed partem, ne multum pretii ſolvant, & ne, ſi merces omnes pereant, nihil omninò ipſis remaneat, ſed ſaltem maneat valor partis aſſecuratæ: ut ſi aſportant merces valoris ſex mille aureorum, aſſecurant ſolum valorem duo mille aureorum. In hoc autem eventu ſi deſignetur, quæ pars in ſingulari aſſecuratur, tunc ſi illa pereat aut pars illius, ſolvendum eſt ſolum, quod ex illa periit: nihil verò, ſi partes aliæ non aſſecuratæ pereant, & tota illa pars deſignata ſalva manſit. Si verò nihil in particulari deſignetur, ſed ſolùm ex illis mercibus aſſecurentur duo mille aurei: ſi verò pereat dimidium omnium illarum mercium, quæ æſtimatæ fuerunt ſex mille aureis, ſolvuntur ſolùm mille aurei, & ita proportione eadem de reliquis mercibus quæ perierint, Molina *d. diſp.* 507. *n.* 9. Vide Cardinalem de Lugo *d. ſect. ult. n. ult.*

LII. Totalis ſit vel partialis eſt vel pura vel conditionalis. Hu-

lis. Hujus divisionis vestigium non petitur è *l.* 4. 5. *d. naut. fœn. l.* 3. *C. eod.* In *l.* 4. idem est non esse periculum, & periculum desiisse. In *l.* 5. proponitur conditio pœnalis non existens. In *l.* 3. conditio est privatæ conventionis. Huic divisioni non adversatur, quòd idem sit purum & conditionale. *§. pen. l. d. V. O. l.* 1. *d. L. Commiss.* Resp. in *d. §. pen.* non est conditio propriè sic dicta, quæ est suspensi juris constitutio, *l. pen. d. suis & legit.* sed est conditio ad præsens vel præteritum tempus relata, quæ aut statim infirmat obligationem, aut omninò non differt. *Quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licèt apud nos incerta sint.* In *d. l.* 1. non idem est purum & conditionale, sed idem est purum, & quod sub conditione resolvitur. Huic divisioni non adversatur *l.* 2. *in princ. d. in diem addict.* ubi quoties fundus in diem addicitur utrùm pura sit emptio, sed sub conditione resolvatur; an verò conditionalis magis sit emptio, ejusdē quæstionis est. R. à quæstione transeundū ad responsionem, quâ videtur veriùs interesse, quid actum sit: nam siquidem hoc actum est, ut *meliore allatâ conditione discedatur*, erit pura emptio, quæ sub conditione resolvitur: sin autem hoc actum est, *ut perficiatur emptio, nisi melior conditio offeratur*, erit emptio conditionalis. Usus differentiæ inter emptionem puram & conditionalem est in *d. l.* 2. *in §.* nam si pura est venditio, is, cui res in diem addicta est, & usucapere potest, & fructus & accessiones lucrari, & periculum ad eum pertinet, si res interierit. Huic divisioni non adversatur Santerna *d. Assecur. part.* 3. *num.* 42. cui omnis Assecuratio est conditionalis, idque respectu habito ad periculi vel casus eventum, quo non contingente si nihilominùs Assecurator id, quòd in casum periculi conventum erat, præstet, veriùs donatio quàm assecuratio dici meretur. R. 1. omnem assecurationem esse conditionalem non in se, sed certo respectu. 2. periculi vel casus eventus non facit assecurationem, sed assecurationis præstationem. Vid. supra *th.* 35. in qua sic infertur affirmando, conventio de pretio facit assecurationem, pretii numeratio, quæ non peræque desideratur, facit assecurationis præstationem. 3. Conditio, quæ inest, ut in assecuratione pura, non facit actum conditionalem, sed conditio, quæ recipitur. Omni tutoris dationi inest conditio, quæ discernit tutorem suspectum à non suspecto, sed non omnis tutor datur sub

conditio-

conditione, §. 3. *l. qui testam. tut. dar. poss.* illius tutoris datio est pura, hujus datio est conditionalis. 4. Si utraque conditio faceret actum conditionalem, nunquam intueremur initium, contra *l. 8. in princ. mand.* 5. assecuratio posset degenerare in donationem, eo, quod degenerat, non est donatio. In *l. 22. d. leg. 2.* legati pars degenerare potest in donationem inter vivos, eo, quod degenerat, non est donatio inter vivos.

LIII. Qualiscunque autem sit Assecuratio, illa æstimatur secundùm suam formam, sive sit ipsius Assecurationis, sive Assecurationi accedat.

LIV. Forma ipsius Assecurationis consistit in ipso contractu, & in pactis, quæ contractui Assecurationis insunt: sive insint in continenti, & tunc formant actionem, *l. 7. §. 5. d. pact.* sive insint ex intervallo, & pariunt exceptionem, Stypmannus *d. jur. marit. d. c. 7. num. 384.*

LV. Hic contractus & hæc pacta sint talia, ut tamen non recipienda non recipiant. In *l. 40. in princ. d. pact.* est pactum generale: non tamen valet pactum, quod turpem causam continet, *l. 27. §. 4. eod.*

LVI. Turpis causa est vel Universalis vel Localis. In universalem veniunt Præbendæ, Dignitates, Munera, quorum non est nundinatio. Bod. *de rep. libr. 5. c. 3. libr. 6. c. 2.* Vide Carolum Molinæum *d. divid. & indiv. fol. 509. num. 578.* ubi de ejusmodi nundinatione officiorum, & inexpertis emptitiis Judicibus inter cætera scribit, *Huic quæstuariæ venalitati turpiter prostitutas jacere dignitates ipsas judiciales, etiam plebeculæ despicabiles: nullum enim tam vilem cerdonem vel coquum esse, qui non speret se filiumvé suum etiam Senatorem vel Præsidem Parlamenti fieri posse, aut Abbatem vel Episcopum, si pecunias undecunque corrosas numerare possit.* Vide Petrum Gregor. *in Synt. jur. univer. libr. 25. c. 11. n. 7. libr. 36. c. 29. num. 10. libr. d. Rep. 9. c. 1. num. 35.* juxta quem nihil pejus potest accidere reip. eâ negotiatione: pro uno enim aureo, quo officiarii redimunt officia, & jurisdictionis potestatem à Principe, infinitus revendendi cariùs justitiam subditis occasiones architectantur, ut etiam impudenter audeant in subditos grassari, palamque supra sportulas debitas petere, quod jam Principi pro mercatura officiorum dicunt se præbuisse. Adeò venales isti urbium Senatores pro pastoribus agunt prædones, pro

nes, pro

nes, pro custodibus lupos, quos dominus abigat à grege suo. Adversatur huic turpi causæ Universali venditio officiorum adhuc in Gallia usitata, quæ sub Ludovico XII. Galliarum Rege magnum incrementum accepit. R. manet turpis causa universalis, quam factum Potentioris limitare non potest. R. 2. Hotomannus, naturæ ductu quodam hoc esse consequens, ut tam prodigioso mercimonio probis antelati nequissimi, prudentibus imprudentissimi, doctis indoctissimi ex justitia ipsa rem faciant promercalem: cùm quæ emeris, vendere juris gentium sit. Sicut lanii optimum bovem uno pretio emptum in macello per partes venditant; ita magistratus uno comparatur pretio, & ejus administratio posteà singulis jus postulantibus tot pretiis, sine ullo conscientiæ scrupulo, divenditur. Prolixius quid de hac arte injustitiæ institoria sentiendum sit, recitat Thuanus *libr.* 132. *ad annum* 1604. Ut excludatur omnis nundinatio, magistratum voveo prudentem, & modum creandi integerrimum. Non aperto facinore suæ vel amicorum cupiditati serviat, suâ pulcritudine justitiam revereatur. Mihi voveo sortem Scipionis minoris. Chartagine Romaq; jam in fœdus compositis, Regi Numidarum, Masinissæ, qui & ipse Romanorum amicitiam colebat, cum Pœnis dissidium fuit. Jam in castris utrinque exercitus erant, dictus etiam certamini dies, cùm Scipio minor, fortè ad aliâ negotia in Africam missus, pervenit ad castra Masinissæ, tantique prælii spectaculum cepit. Tuta illi res, quocunque fortuna se inclinasset, Romani nominis majestate. Successit ergò in tumulum, viditque certantes, & impune licuit tot mortalium periculis frui. Et visa res tam ambitiosæ voluptatis, ut negaret hanc ante se contigisse, nisi Jovi ab Ida, Neptunoque è Samothracia extra aleam Græcorum & Trojanorum bella cernentibus. Liceat mihi non illorum, qui honorum emptionem non dissimulant, sed meliorum animis jucundissima familiaritate misceri, aut horum in variis litibus sensus saltem, neque ineloquentem eruditionem percipere, ac de ipsis judicantibus ferre sententiam. Aut, si gratum est in tumultu fori esse, ipse discursantium fremitus vultusque diversi, hi exanimati metu, spe alii exultantes ita oculos abripiant, ut utilissimam humanæ dementiæ scenam intueri existimer. Adversatur huic turpi causæ universali etiam honorum &

officiorum emptores esse laudatæ dignitatis, quâ nocentes accusare,& adesse sordidatis iis sit magnificum. R. hoc credendum in iis locis, in quibus non sola merita, sed nummi promovent; tunc contingit eos, qui sunt laudatæ dignitatis & aliter non pervenirent, honores & officia emere. Quando autem sola merita promovent, non movent nummorum insidiæ, quibus nil tale merentes ad honores & officia grassantur, seque putant cæteris excellentiores. Commodum heic est illud Ant. Matthæi ex *orat. in Curionem*. Quis furi nisi fur gratulatur ? Quis mœchum amat nisi mœchus? crudelem quis non odit, nisi ipse crudelis? Plus Siculis damni Verres dederat, quàm centum fugitivorum cohortes, libidinis autem & crudelitatis vestigia tot & tanta reliquerat, ut non pœnas inde, sed præmium aliquod expectasse videretur. Utinam hi emptores illigarentur fugitivorum cohortibus, & non in libidinis ac crudelitatis vestigiis præmium expectarent. Vide Polyd. Virgilium *libr. Hist. Anglic.* 8. ubi de Eduardo III. quem viderit auro insidentem, Klocken *d. Contrib. c.* 1. *num.* 145. Occinamus iis, qui tantùm pecuniosos promovent, hæc Catulliana,

Bella es, novimus, & puella verum est:
Et dives; quis enim potest negare?
Sed dum tu nimiùm Fabulla spernis
Civi'is sapientiæ magistros,
Nec dives, neque bella, nec puella es.

LVII. In localem turpem causam veniunt illæ res, quæ non sunt privatorum, ut in *l.* 1. *C. quæ res ven. non poss.* furandæ atque distrahendæ purpuræ, vel in serico vel in lana, quæ blatta vel onyblatta atque hyacinthina dicitur, facultatem nullus possit habere privatus. Veniunt & illæ res, quæ certo ordini prohibentur. Senatoribus navem ex L. Julia repetundarum habere non licuit, *l.* 3. *in fin. ff. d. vacat. & excus. mun.* Apud Livium 21. est L. lata à Quinto Claudio, Tribuno Pl. ne Senator navem haberet trecentis amphoris majorem. Vide Gjurbam ad *l. unic. C. ut nemini lic. in empt. spec. se excus. libr.* 10. *num. ult.* Veniunt & illæ res, quæ exportari non debent, ut sunt vinum, oleum, liquamen, loricæ, scuta, arcus, sagittæ, spathæ, gladii, tela, ferrum, vel factum jam vel adhuc infectum. *t. t. C. quæ res export. non deb. l.* 2. *C. de commerc.*

& merc.

& merc. Exportantur & hæ, quæ Barbaris cujusque gentis ad Romam, urbem Sacratissimam, sub legationis specie, vel sub quocunque alio colore venientibus venundantur, *l. ult. C. d.t. quæ res exp. non deb.* Cum his non pugnat *th.* 48. in qua quæritur, An in assecuratione mercium intelligatur pecunia, quia hic proponitur localis turpis causa, quæ vult non ubique pecuniam exportari prohibitam. 2. non omnis pecuniæ exportationem prohiberi: quod novisse debebat Erasmus, de quo ad Carolum V. Imp. Beatus Rhenanus; In Anglia cùm aliquamdiu mansisset, in reditu apud Dovariense litus à telone fortunis propemodùm omnibus exutus est, ac nondum navem ingressus naufragium fecit, quod complusculos aureolos ultra præscriptum numerum & sine regio diplomate efferre tentasset.

LVIII. Quod est localis turpis causæ, potest extendi ad universalem, ut est locarium Nautarum, de quo priùs egerit Amsterodamum aut alius Princeps, ratio turpis causæ est universalis, sive sit necessitatis sive consilii. Est necessitatis, quæ apud Stypmannum *d. l. num.* 280. 291. quâ, quod non integrum debetur, antequam finis negotiationi imponitur, in taxationem non venit. Est consilii, quod acuit diligentiam ejus, cui locarium debetur, si sciat locarium esse periculo exemptum.

LIX. Forma ejus, quod Assecurationi accedit, est Pollex sive Instrumentum. Hoc in se contineat 1. nomen Assecuratoris. 2. nomen Nautæ. 3. nomen Navis. 4. nomen loci, ubi navis oneratur. 5. nomen loci, quò navis tendit. 6. designationem mercium. 7. nomina eorum, ad quos merces pertinent. 8. tempus. 9. liberum navis cursum. 10. susceptionem periculi. 11. confessionem pretii.

LX. I. *Nomen Assecuratoris*, quod refertur vel ad numerum, vel ad nominati originem, vel ad adscititium nominis colorem. Ad numerum, quo est vel unus vel plures sunt Assecuratores, dantur quippe & collegia Assecuratorum, qui, ne unius sit damnum, commune damnum resarciunt. Ad nominati originem, qua Assecurator domicilium suum consignat. Ad adscititium nominis colorem, qui apud Stypmannum *d. l. num.* 390. Judæi Assecurationibus inseritur, quod solet fieri propter deprædationes, quibus ejus bona obnoxia sunt.

LXI. II. *Nomen Nautæ*, quem non opponimus magistro ut in *l.1.§.2.d. Exerc. act.* sed ponimus esse ipsum magistrum, cujus est totius navis cura. Santerna *part. 3. num.* 48. Potest tamen in nomine nautæ intervenire error, qui in persona non intervenit, *§.si quidem. 29. l. d. leg.*

LXII. III. *Nomen navis*, nam Babylonii sua navigia fecêre orbiculata & coriacea: Armenii ex cæsis salicibus: Ægyptii ex spino. Indi alveis ex singulis arboribus cavatis navigant. Romani veteres in eo discreparunt: alias enim naves fecerunt breves angustâ puppi proraque, & lato utero, quò faciliùs fluctus tolerarent: quasdam planas carinis, ut sine noxa sederent: plures oppositis utrinque gubernaculis conversas, ut repente remigio hinc vel illinc adpellerent: multas pontibus stratas, super quas tormenta veherentur, simul aptas ferendis equis, aut commeatui, velis habiles, citas remis. Gronlandiæ cultores scorteis & vitilibus navigiis utuntur tutis à quassatione maris & scopulorum. Lappones & Finnones navigia habent nullis clavis, sed nervis & viminibus compaginata. Alii alios excogitarunt structionum modos. Vide Herodotum *in Cl. & Euterp.* Bentzium *in histor. nov. orb.* Tacitum *libr. annal.* 2. Vegetium *libr. d. re milit.* 5. *c.* 12. Polybium 1. *hist.* 21. Alexandrum ab Alex. *libr. genial. dier.* 4. *c.* 2. Plinium *libr.* 16. *c.* 40. Cæsarem 1. *&* 3. *d. bell. civil.* Lucanum *Pharsalic.* 4. De navigiis fictilibus, papyraceis, vitreis, quæ magis sunt ingenii, quàm idonei usus, sileamus. Sileamus & hic, an sub nomine navis ejus latera, prora, puppis, carina, gubernaculum, malus, anchora, vela, antenna, rudentes, epitonis, anquina, remulcus, sentina, scalmus, transtra, phalanges intelligantur. De his enim loqui, non magis prodesset, quàm si loqueremur de vendita domo, an instructa eâ contineantur? Vide Carpzov. *part. 2. const. 33. def.* 20. Non magis prodesset, quàm si loqueremur de eo, qui deberet omnes servos suos, & vellet non debere atriensem, quòd atrium omni ex parte mundum & nitidum ut sit, curet: hæc cura dicit servum esse atriensem, non tamen servi atriensis tollit debitum. Aut si exciperet servum pileatum, qui pileo tectus demonstrabat se venundari: aut si exciperet jure belli captivum, qui sub corona venibat. Vendi non potest alteri debitum. Sileremus & hoc an nomine navis scapha comprehendatur? aliqui negant, nos affirmamus. Negantes non

tes non juvat, *l.* 44. *d. Evictiõn.* in qua hoc tantùm habetur ſcapham non eſſe membrum navis. Non juvat *l. fin. d. inſtr. vel inſtrum. legat.* in qua hoc tantùm habetur ſcapham non eſſe inſtrumentum navis. Non juvat *l.* 3. *§.* 1. *de R. V.* ubi non agitur de aſſecuratione navis; ſed de rei vindicatione, in quam, cùm ſit ſtricti juris, ſcapha ſeparatim venit. Quid negantes reſponderent ad *l.* 4. *in princ. d. L. Rhod. d. jact.* ubi *navis onuſtæ juvandæ causâ (quia intrare flumen vel portum non potuerat cum onere) ſi quædam merces in ſcapham trajectæ ſunt, ne aut extra flumen periclitetur, aut in ipſo oſtio vel porta, eaq́ ſcapha ſubmerſa eſt, ratio haberi debet inter eos, qui in mare merces ſalvas habent, cum his, quæ in ſcapha perdiderunt:* quia nomine navis ſcapha comprehenditur. Quid reſponderent ad *l.* 1. *§.* 6 *d. exerc. act.* ubi navem accipere debemus, ſi ſchedia ſit: ſi ſchedia, quam ob rem non, ſi ſit ſcapha. Schedia Feſto eſt genus navigii inconditum, trabibus inter ſe tantùm nexis factum. Reſpondeant, ſi quadrat,

Quid tibi cum parva navita Typhi mea.

Vide Santernam. *p.* 3. *num.* 37. 38.

LXIII. IV. *Nomen loci, ubi navis oneratur.* Huic non repugnat *l.* 43. *d. jud.* ubi adjectio loci eſt ſupervacua. R. non cum iis, qui includunt locum domicilii: non cum iis, qui locum intelligunt non naturaliter, ſed civiliter de quocunque loco legitimo & idoneo, in quo aliàs reus ſine adjectione loci conveniri potuiſſet; ſed in *d. l.* 43. proponitur facultas conceſſa ei, qui, quem ſuo loco non poteſt, quocunq; loco convenit. In *l.* 16. *§.* 1. *d. pec. conſt.* etiamſi certo loco & tempore quis conſtituat, non ſolùm eò loci petit, ubi ei conſtitutum eſt, ſed ubique poteſt.

LXIV. V. *Nomen loci, quò navis tendit.* Navarchus enim non mutat deſtinatum iter abſque neceſſitate lucri ſui causâ, ſed adpellit portum, de quo convenit. Tunc manet verum illud Anacharſis, de quo in *th.* 51. ſecuriſſima eſt navis, quæ in portum venit. Interpretamur hoc contra Loccenium *libr. d. jur. marit.* 2. *c.* 5. *num.* 9. ſecurior eſt navis eâ navi, quæ nondum in portum venit. Non tamen inficias imus, in ipſo oſtio vel portu periclitari navem, *d. l.* 4. *in princ.* Quid ſi non attendi queat nomen loci, ubi navis oneratur: non nomen loci, quò navis tendit; *ſed navis cum mercibus in exteris locis arreſto detineatur?* Reſpondet Loccenius *d. l. n.* 17.

LXV. VI. *Deſignationem mercium.* Cui non eſt contra-

rium, quòd obligatio Assecuratoris sit generalis, quia potest esse obligatio generalis secundùm quid in relatione ad pericula, quorum susceptio est generalis: non in relatione ad merces, quæ specie suâ designantur.

LXVI. VII. *Nomina eorum, ad quos merces pertinent.* Pertinere non solùm id dicitur, quod ad aliquem jure dominii pertinet, sed aliquali interesse. Hinc assecuratio super mercibus ad me pertinentibus ad merces promissas trahitur. Sicut etiam valet super pecuniis à magistro navis debitis, & ab ipso promissis solvi aliis sub periculo suæ navis in civitate Venetiarum. Vide Stracham *concl.* 10. *n.* 15. Santernam *part.* 3. *n.* 58. Stypmannum *d. c. à n.* 399.

LXVII. VIII. *Tempus,* ex quo Assecuratio incipere debet, & in quo finire, ita ut initium habeat à tempore mercium in navalia translatarum, ut imponantur navi, & durabit usque dum merces in destinato portu salvæ sint exoneratæ. Exoneratio verò non ultra quindecim dies differetur, exceptis necessariis obstaculis, quæ probanda, *art.* 13. *assecur. Antvverp.* Loccen. *d. num.* 9. Quemadmodum si obligationi certum tempus sit constitutum, si post tempus agatur, exceptio obstet, vide Harpprechtum ad *princ. I. d. locat. cond. à num.* 22.

LXVIII. IX. *Liberum navis cursum,* in quo non est effrænis libido, sed actus, qui jure maritimo non vetatur. Non est securitas, quæ non mutatur, quantumvis inhorreat mare, nubesque undique adductæ obruant tenebris diem. Aspiciunt tenebras, ut rusticum, qui ex interula promit caseum. Imò cum inhorruit mare, major est securitas. Negant cum Plinio *libr.* 9. *epist.* 26. parem gubernatoris esse virtutem, cùm placido & cùm turbato mari vehitur. *Tunc admirante nullo illaudatus & inglorius subit portum: at cùm strident fines, curvatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus & Diis maris proximus.* Non est animositas, quâ Zaumarus, Pori regis legatus, ad Augustum, Athenis hybernantem veniens, quum sacris quibusdam sese initiasset ac Diis devovisset, victima simul & sacerdos unctus, nudus, ridens iniit rogum. Non tam erat animositas, quàm fingebat animositatem Stoicus ille, quem Cynicum contumeliæ causâ Lucianus appellat, qui ingentissimâ pyrâ constructâ, postulato thure illud in ignem sparsit, & obversis ad meridiem oculis, O materni atque paterni dæmones, suscipite me propitii, in ignem

in ignem insiluit. Quos paternos, quos maternos dæmones hunc suscepisse putamus? an vulturem illum, quem vult anilis fabula rectà in cœlum ivisse, è rogo subvolantem, & magnâ voce humanâ clamantem, reliqui terram, *in Olympum commigro*. Animositas erat in Arria, quæ apud Martialem *libr.* 1. *epigr.* 13. Pæto suo tradidit gladium,

Quem de visceribus traxerat ipsa suis.

Nil indulget illicitum illa clausula, ad dextram vel sinistram, quia dextra & sinistra à proposito non abducit, cùm dextram & sinistram euntium idem locus capiat, ut benè suo ævo arbitrabatur Carolus V. Imper. apud Limn. *d. jur. publ. libr.* 4. *c.* 9. *num.* 102. *in fin.* sed indulget seu permittit nautæ commoditatem, secundùm quam cursum dirigat, vel propter causas littora legendo, vel portum intrando, Stypmannus *d. loc. num.* 413. Potest etiam liber navis cursus opponi violentiæ seu coactioni. In *cap. requisivit.* 17. *X. d. Sponsal.* libera sunt matrimonia, quæ se habent juxta *c. cum locum.* 14. *X. eod.* & in quibus coactio non intercedit. Si liber navis cursus referri queat ad liberum hominem, refertur ad illa omnia, quorum communione servos interdicimus. Huic explicationi liberi navis cursus obloquitur liber usus maris, in cujus accessionem navis venit. R. veniat in accessionem, non est ejusdem pars, alioqui ut mare est immobile, ita navis esset immobilis contra *l.* 1. *§.* 7. *d. vi & vi arm.* 2. liberum maris usum Æmilius *orat.* 7. describit: De libero usu maris non novos Interpretes Seldenos consulimus, sed veterem hujus juris magistrum, ipsam Naturam, quæ mare, cœlum & aëra ex æquo fruenda dedit omnibus. Quæ non scripta sed nata lex est, ad quam non docti sed facti sumus; quam non disputando aut vitilitigando asserit Batavus, sed pugnando fortiter; jamdudum edoctus non forensibus cavillis, sed manu: non litigiosis argutiis, sed novali ferro aperiri maria, adversùs regnantium impotentiam, qui, nisi obsistimus, non Oceani modò, sed aëris, credo, & cœli denique claustra sibi vindicabunt. Vide disputationem Magnif. Dn. Præsidis, Præceptoris devenerandi

datarii esset mandatum. Labitur Donellus *libr. comment. d. jur civil.* 13. *c.* 10. cui qui Mandatum contractum, aut officium gratis susceptum definiunt, faciunt admodum inconsideratè, ne dicam imperitè. Mandatum enim, ut apparet, est solius mandantis factum, quod profectò per se solùm obligationem non parit, eoque nec contractum continet. Potest enim quis quid alicui mandare, quod ille non suscipiat, ac remoto duorum in idem consensu non est contractus, *l.* 1. *§.* 1. *ff. d pact.* Multò minùs mandatum dixerimus esse officium susceptum, quia potest mandatum intervenire: deinde quia etiam si susceptum sit, tamen mandatum est in mandante, officium in eo, qui operam præbet: quæ duo subjectis distincta nunquam eidem personæ attribui possunt. R. Hilliger ad *d. loc.* Addimus, hanc Donelli innovationem menti Justinianeæ non esse congruam. 2. mandatum non magis est solius mandantis factum, quàm commodatum est solius commodantis factum, & frustrà quæritur, an solius mandantis factum obligationem pariat, aut contractum contineat. 3. & hoc frustrà quæritur, an quis possit quid alicui mandare, quòd ille non suscipiat, quia tantùm de mandato suscepto quæritur, an sit contractus? 4. nihil absurdi subest in mandatario mandatum esse officium susceptum. 5. mandatum & opera non sunt duo subjectis distincta, sed opera est ejus, qui, ut mandato obtemperet, officio mandatarii fungitur.

LXX. XI. *Confessionem pretii* super ejusdem quantitate & numeratione: quæ quantitas est præsens, numeratio futura.

LXXI. Confessio pretii non est nuda assertio, ut in actione confessoria. Vide Schneid. ad *§.* 2. *I. d. Act. num.* 8. Oldend. *class.* 3. *act.* 5. *in princ.* Wesenbec. *in parat. num.* 2. *si usufr. pet.* non est assertio limitata, ut in literarum obligatione, quæ exceptione non numeratæ pecuniæ biennali eliditur, *tit. I. d liter. oblig. l.* 14. *in princ. C. d non numer. pecun.* sed est confessio plena obligati ad pretii, quantitate suâ terminati, numerationem: sive illa numeratio fiat ab ipso confitente, sive ab alio, cui eam commisit. Peculiàre hoc habet mutuum, quod propter naturalem numerationis præstationem per alium fieri potest, *l.* 9. *§.* 8. *d. reb. cred.* & ita omnis numeratio per alium fit, *§.* 4. *I. d. mut. stip.* licèt per alium non fiat obligatio, *l.* 11. *d. O. & A.* Hunc alium Strypman. *d. c. num.* 415. vocat proxene-

proxenetam, qui latinis eſt interpres ſeu pararius, Briſſonius in voc. *proxeneta*. Sed properandum ad finem, ne lector interpellat,

jam gravis es nobis.

aut ne dicat, non equidem decere celeritatem, quæ eſt ipſius nautæ, qui tantâ eſt artium velocitate, ut per funes nauticos enixus, ſimul propè in imo navis ac ſupremo mali ſpatio verſetur, Heinſ. *orat.* 1. decere tamen celeritatem: præſertim ſi vox rauca & intricata, qualis erat Claudii, quem cum ira accendebat, etiam magis ridiculum efficiebat, & ut minùs intelligi poſſet.

LXXII. Alia adhuc moneri poſſent, quæ non ſunt ipſius inſtrumenti, verùm inſtrumento tantùm accedunt, & de iis dubitandi ideò non juſta eſt ratio, ut non dubitamus circa ſubſcriptionem Aſſecuratoris: circa ſtylum & obſervantiam, ſecundùm quam Aſſecuratio fit: in qua aſſecuratione ſi aliquid fuerit omiſſum, id omne ex ſtylo & obſervantia petatur. Non dubitamus circa efficaciam, quæ in inſtrumento hoc guarentigiato paratam habet executionem, vel propter publicam authoritatem, quâ inſtrumentum hoc nititur, vel propter publicæ authoritatis rationem, ne mercatores probationum difficultatibus ſe involvant, & qui ſecuri erant ſtando, caducis circumventionibus dejiciantur. Abominemur rei domeſticæ cladibus, temporum calamitatibus amiſſis patrimoniis accedere effugia, quibus qui debet, eludere non verecundatur. Hoc eſſet id, quod ritè & ſecundùm leges ab initio actum eſt, ex alio eventu reſuſcitare, contra *l.* 25. *C. de admin. tut.* Et verò ſi aſſecuratis poſt aſſecurationem non eſſet aſſecuratio, maxima cum cura id ſolùm agerent, quòd fatuus ille, quem referunt inveniſſe cribrum, & obſervatis innumeris foraminibus ſibi illud reparandum cenſuiſſe: Inde auſpicatum: malis avibus, ſiniſtro judicio opus ſuſceptum eſſe. Fatigatum tandem, nec finem laboris in minutulis foraminibus obſtruendis invenientem abjeciſſe cribrum, his verbis: neque quà obturem, neque quà patulum relinquam, videre poſſum. Zepperus in *diſcurſ. Juridic. prolog.* Mer-

Et pœna mutate genus, Porsena reducat
Tarquinios · renovet ferales Allia cades.
Me potiùs sævi manibus prosternite Pyrrhi.
Me Senonum furi·, Brenni me reddite flammis,
Cuncta fame leviora.

Moneri posset & hoc ejusdem posse esse finem & formam, vel è forma finem subsumi. E forma feudi, quæ est fides, feudi finis, qui etiam est fides, subsumitur. Aut malè Ludvvel. in *Synops. jur. Feud. c.* 2. definiret Feudum usumfructum quendam rei immobibilis, ex benevolentia domini, sub conditione fidei & obsequii concessum. Vel distinguitur inter feudum constituendum & constitutum. Fides est feudi constituendi finis, constituti forma.

LXXIII. Effectus Assecurationis alius est intermedius, quem facit obligatio, de qua in *th.* 71. vel ultimus, qui consistit in actione, quâ, ut in *l. ult. in princ. C. d. jur. dot.* mulier suæ tristitiæ per actionem dotis proprium habet solatium : ita & Assecuratus in actione solatium venatur.

LXXIV. Nihil impedit hanc actionem vocare Assecuratoriam, vel, si latinum vocabulum mavelimus, actionem aversi periculi, nomine ei ex duobus vocabulis conciliato, Stypmannus *d. c. num.* 464. Hanc actionem, si tempore Justinianeo innotuisset, potuisse vocari Assecurationem non diffitentur illi Commentatores, qui nomine emphyteuseos propriam concedunt actionem, cùm contractus emphyteuticus suâ indole & naturâ, absque ulla nova lege, obligationem & actionem producat. Vide Harpprechtum ad *§. adeò.* 3. *I. d. locat. cond. à num.* 576. Magn. Dn. Præsidis, colendi Fautoris, disputationem *d. Emphyteus. th.* 10. *lit. c.* Valer. Andream in add. ad Zœsium *d. tit. d. loc. cond num.* 12. *in fin.* cui disputatio hujus rei est supervacua, cùm nomen actionis exprimi in libello necesse non sit, sed factum narrari sufficiat, ex qua justa agendi causa intelligatur, *c. dilecti. X. d. judic.* Sed remittit tantùm Pontifex in *dict. cap.* subtilitatem. 2. remissio in certis personis non omnem personam liberat. Obstat quod in *th.* 18. assecuratio vocetur contractus innominatus, è quo actio descendens est præscriptis verbis. Resp. è ratione ibi subjecta, magis accedere ad naturam contractus innominati. 2. ut in actione præscriptis verbis alia

bis alia est de æstimato, alia de permutatione; ita potest dici hæc actio assecuratoria, actio præscriptis verbis, quæ est de assecurato. Atqui §. 28. *l. d. action.* 3. actio assecuratoria non desumatur ex eo jure, cui assecuratio erat ignota. 4. etiamsi desumeretur ex eo jure, cui assecuratio erat ignota, ignotum illud est alterius naturæ. Colligitur ex Struven. *exerc.* 25. *th.* 48. ubi quid si præmium initiò non sit datum, casus verò adversus contigerit, quo res interierint, anne poterit is, qui periculum suscepit, eò quòd nihil ipsi sit datum, pœnitere? Resp. Struven, non esse locum pœnitentiæ statuimus, sed teneri eum præmium promissum & jam oblatum accipere, & æstimationem rerum perditarum solvere.

LXXV. Hæc actio Assecuratoria duplex est, alia enim est Assecurati, alia Assecuratoris.

LXXVI. Assecurati actio à primo die signationis vel subscriptionis dicitur nata, & intra duos menses intentari debet à die notitiæ, quando Assecurans est certior factus de damno in mercibus accepto, Stypman. *d. c. num.* 470. E quibus tria colliguntur. Primum est, non idem esse actionem esse natam & intentari debere. Secundum est duos hos menses esse utiles & continuos. Tertium est, certiorationem, quæ fiat Assecuranti, semper esse necessariam. *Quoad primum* actio potest dici nata, quæ nondum intentari debet. Actio pignoratitia competit, postquam pignus traditum est, licèt effectus illius & operatio eo usque suspendatur, donec debitum solutum, vel alio modo creditori satisfactum sit. Non me latet quidem nativitatem hujus actionis referri disertis verbis in *l. 9. §. 3. de pign. act.* ad tempus solutionis vel satisfactionis, ut planum esse videatur antea de ortu illius vel competentia frustra quæri, quæ assertio & mihi antehac imposuit, ut in illa prorsùs acquieverim. Sed jamnum re altius perpensâ cum Bachovio *libr. 5. de pignor. c. 16.* contrarium statuo, illam statim eo ipso momento, quo res pignoris causâ tradita est, oriri, & JC. in d. l. 9. §. 3. verbo: *nascitur* aliquâ ratione

eoipso ad illud restituendum obligari. Unde fieri nequit, quin eo ipso positâ causâ sufficienti sequatur effectus, qui nullus alius est, quàm actio, inter quam & obligationem nullum intermedium datur, cùm unum illativè ex altero veniat. Nec obstat, quòd statim ex illa agi non possit, quia actionis essentia non in actu persecutionis, sed potiùs in jure persequendi consistit, Frantzkius ad *d. tit. d. pign. act. à num. 5.* *Quoad secundum* idem tempus potest esse utile & continuum. Vide *§. qui autem. 16. I. d. excus. tutor. l. 13. §. 9. ff. eod.* ubi proponuntur quinquaginta dies continui & utiles. Continui sunt, intra quos excusatio tutoris proponitur. Utiles sunt, quia hi dies continui currunt, ex quo tempore tutor cognoverit se esse tutorem datum. Vel potest dici dies esse continuos ratione initii & progressus: esse utiles ratione initii, continuos ratione progressus. Vel potest dici dierum continuorum primum posse esse utilem. *Quoad tertium* certiorationem semper esse necessariam, etiamsi Assecurans rescischat damnum in mercibus esse acceptum; id dispalescit è quæstione, quam Burgundius *c. d. evict. 60.* movet, *Utrùm venditori, qui juravit se lite motâ venturum ad defensionem, denuntiandum sit, si litem motam esse non ignoret?* Non attendit Burgundius, quantum plures juramento tribuant. Quòd aliàs hoc juramentum non sit habiturum effectum, nisi venditorem non interpellatum ad defensionem obstringat. Quòd venditor aut simpliciter juret, servaturum se contractum: aut nominatim juret venturum se ad defensionem. Quòd juramentum habeat vim litis contestationis, quia hoc verum sit de juramento decisorio, non de confirmatorio ipsius contractus. Addit *num. 5.* meræ sunt nugæ ex Sophistarum pharetra depromptæ, quòd quidam distinctionem faciant inter primordialem & accidentalem naturam: quasi verò juramentum non induat naturam accidentalem ipsius contractus.

LXXVII. Assecurationis actio persequitur pretium, præmium seu id, quod interest ex concessione ejus, quod in instrumento continetur. Si assecuratori non esset actio, & nequiret persequi id, propter quod factus est assecurator, nemo fieret assecurator, aut quis officio assecurationis damnum sibi accerseret, ac pateretur sibi per assecuratum deteriorem conditionem inferri contra *l. 74. d. R. I.*

LXXVIII.

LXXVIII. Sicut autem Aſſecuratori datur actio, ita & retentio, ſi aſſecuratus ab ipſo petit valorem mercium, nec præmium exſolverit. Quod juri convenit, cui datur actio, ei multò magis detur exceptio *l. 1. §. 4. de ſuperfic.* Stypman. *d. c. num.* 495. Nec iniquum hoc eſt: imò iniquum eſſet, ſi aſſecuratus præmium non exſolveret, & tamen valorem mercium petere poſſet, cùm alterius ad alterum ſit relatio: relatio eſt valoris ad præmium & ad omnia, quorum causâ inita eſt præmii pollicitatio. Non malè huc trahitur axioma Taboris, quod inſerit axiomatibus Barboſæ *libr. 16. c. 23. axiom. 6.* relatio ad omnia præcedentia eſt trahenda, ubi non apparet diverſitatis ratio, cur ad unum magis quàm ad aliud tacitæ derogationis vel diſpenſationis extenſio fieri debeat, Cravett. *conſ.* 958. *num.* 30. *per l. 3. §. filius 2. ff. d. liber. & poſth. l. talis ſcriptura.* 30. *in fin. ff. d. leg.* 1. *l. ſi tibi purè.* 54. *ff. d. leg.* 3. *l. Aurelius.* 28. *§. teſtamento.* 5. *ff. d. liber. leg. l. fin. ibiq; Bartol. ff. d. reb. dub.* pertinetque ad omnia præcedentia, de quibus dictum eſt, principaliter, non enunciativè vel incidenter: niſi relatio apertè fiat ad omnia & ſingula, Cravetta *c.* 68. *num.* 11. *verſ. non alienum ab his.* Hæc omnia ſi deficerent, non deficeret, non deficere poteſt natura, quæ retentionem ſuadet: hanc naturam æquitatem vocat *l.* 14. *§. 1. comm. divid.* Supponit Stracha *d. mercat.* 1. *part. ult. princ. num.* 1. ubi in curia Mercatorum æquitatem præcipuè ſpectandam, & ex æquo & bono cauſas dirimendas eſſe, & de apicibus juris diſputare minimè congruere nemo eſt profectò, qui neſciat.

LXXIX. Præter hæc imploratur officium Judicis, quod eſt neceſſarium vel utilius. Illud omitti non poteſt, hoc omitti poſſit, eſt utilius. Omitti non poteſt, ut ſi vaſallus à domino turbetur in poſſeſſione feudi, aut ſi indebita atque inſolita ſervitia exigantur, aut ſi crudeliter ipſe ejusvè ſubditi ab eo tractentur, querelam inſtituet contra dominum apud Superiorem, ejusque officium implorabit, ut domino mandet deſiſtere à vexationibus & iniquis exactionibus malâque tractatione: quod multis authoritatibus

adversùs dominos querelis hoc idem dixerit, cùm longè plus domino in servum licuerit, quàm seniori in Vasallum, Rittersh. *libr. part. feud.* 2. *c.* 8. *quæst.* 11. Utilius est officium Judicis, ut ostenso instrumento seu pollice statim executivè procedatur. Vide *th.* 7. Rutg. Ruland. *d. Commiss. part.* 3. *l.* 3. *c.* 15. *num.* 1. Non nudè asserimus executivè procedi, sed ut executivè procedatur, intervenire officium Judicis, ne quis sine Judice se vindicet contra *l.* 14. *C. de Judæis. t. t. C. ne quis in sua caus. jud.* Eleganter Cassiodorus *libr.* 4. *variar.* 10. *Legum reperta est via, & sacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu. Quid enim à bellica confusione pax tranquilla distabit, si per vim litigia terminentur?* Et ex persona Imper. Friderici ait *libr. Ligur.* 8. Guntherus,

Judicis officio sua cuncti jura sequantur,
Contineantq́; manum.

Nudiùs asseruissemus, si executivus processus esset invasionis privatæ, quæ non potest esse justa, quia privata: injusta vim justam, licitam defensionem excuteret, ac concederet cuivis, quod olim erat manus militaris, apparitorum seu officialium. Nudissimè assereremus, si nullo ostenso instrumento seu pollice statim exequeremur. Tutius esset, si ostensum instrumentum esset aut scriptura privata, cui, quæ instrumento publico, par efficacia tribuitur, Rutg. Ruland. *d. num.* 1. Vide Carpzovium *part.* 1. *const.* 17. *def.* 23. *num.* 3. 4. *def.* 36. *n.* 4. 5. 6.

LXXX. Quæ Assecurati actionem, actionem Assecuratoris, ejusdem retentionem velint illegitimam, & nolint officium Judicis implorari posse, ea in communionem exceptionum, ante Assecurationem introductarum; veniunt.

FINIS.